
ANTIQUA PRISCORUM HOMINUM PHILOSOPHIA EVIDENTIBUS DEMONSTRATIONIBUS

Cum vera ſcientiæ methodo reſtituta

METAPHYSICA.

Autore Reverendo Patre BERNARDINO D'ANDRE'E *Carpentoractenſi, Ordinis Capucinorum, Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſore.*



LUGDUNI,

Sumpt. J. BAPT. & NICOLAI DE VILLE, viâ Mercatoriâ, ſub ſigno Scientiæ.

M. DC. XCIV.

Cum Approbationibus & Privilegio Regis.

METAPHYSICÆ

Proœmium.

TRADITA jam Logicâ, quæ dirigit intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas, primam entis ſcientiam exhibere operæ pretium eſt. Dicitur autem Metaphyſica, id eſt, ultra vel ſupra Phyſicam: quia ſuperior eſt, atque univerſalior Phyſicâ, ejuſque objectum ſuperius, & univerſalius eſt objecto Phyſicæ. Quapropter dicitur etiam ſapientia, utpote, quæ ex altiſſimis, atque univerſaliſſimis procedat principiis.

Sapientia enim eſt ſcientia altiſſima, atque univerſaliſſima, cujus concluſiones ſunt omnium ſcientiarum Communia principia. Nam cum ea, quæ ſunt propria generi, ſint omnibus ſpeciebus generi ſubordinatis Communia; & cùm ens creatum, quod eſt objectum Metaphyſicæ, ſit ſuperius cæteris omnibus: neceſſe eſt quod omnes cognitiones certæ, & evidentes,

seu, demonstrationes, quas de ente tradit Metaphysica, sint notiones communes omnibus aliis scientiis, quæ substantiæ, & accidentis species dumtaxat considerant. Tum quod Metaphysica primum tradat principium, per quod immediatè, vel mediatè fit omnis demonstratio.

Hoc autem non est ita intelligendum, quod omnes conclusiones aliarum scientiarum per principia tantùm Metaphysicæ demonstrentur. Quælibet enim Conclusio propria, atque specialia habet principia, quibus demonstrari potest, & debet: ut in Logica demonstravimus. Sed quod Metaphysica tradat universalissimum principium, sine quo nulla fieri potest demonstratio in aliis scientiis. Cùm enim quælibet conclusio certa, & evidens ex duabus præmissis, seu duobus principiis eruatur; primum illorum principiorum universalissimum est Metaphysicum: secundum verò speciale est, & proprium cuilibet conclusioni; ut explicabitur dum de principiis entis.

Præmissis igitur quæstionibus procemialibus, Metaphysicam in tres partes dividemus, primam quoque partem, quia cæteris prolixior est, in duos tractatus, in quorum primo entis creati, ejusque oppositorum naturam, & proprietates demonstrabimus; in secundo autem, qui Theolo-

gia naturalis dicitur, entis creati causam, ejusdemque causæ naturam, & proprietates considerabimus. Secunda pars naturam, & proprietates entis universalis, ejusque oppositorum pertractabit. Tertia denique naturam, & proprietates tam substantiæ, quàm accidentis in genere exhibebit.

QUÆSTIO PRIMA.

PROEMIALIS.

De Objecto Metaphysicæ.

QUæritur quodnam sit objectum Metaphysicæ.

Resp. Objectum scientiæ totalis, qualis est Metaphysica, aliud est adæquatum & totale, aliud attributionis, seu, denominationis, à quo scilicet scientia denominatur. Itaque.

Dico 1. Objectum materiale adæquatum Metaphysicæ sunt ea, quæ Ante prædicamenta dicuntur, videlicet, ens creatum ut sic abstractum à corporeo, & incorporeo ens singulare, & universale, substantia in genere, & accidens pariter in genere, horumque opposita. Objectum verò formale ad æquatum sunt horum omnium, & singulorum naturæ, & proprietates.

Probatur. Quia ea sunt objectum mate-

riale adæquatum primæ entis scientiæ, qualis est Metaphysica, in quæ ens immediatè dividitur, quæ sunt simpliciora, & universaliora, & quorum cognitionem certam, & evidentem præsupponunt cæteræ scientiæ omnes; atqui ens immediatè dividitur in singulare, & universale, in substantiam, & accidens, quæ sunt entis differentiæ, quæ sunt simpliciora, & universaliora; atque horum cognitionem certam, & evidentem præsupponunt cæteræ scientiæ omnes.

Nam Physica substantiæ corporeæ, & accidentis corporei naturam, & species considerat; reliquæ verò scientiæ aliquam, vel aliquas dumtaxat hujusmodi species sub diversâ ratione formali contemplantur: de substantiâ autem in genere, vel de accidente pariter in genere nihil prorsus demonstrant, neque de cæteris ante-prædicamentis; ergo ea sunt objectum materiale adæquatum Metaphysicæ, quæ ante-prædicamenta dicuntur.

Objic. Omne objectum materiale scientiæ est species subjicibilis, vel individuum necessarium, atque in aliquo prædicamento reponitur, sed ens, substantia, & accidens non sunt species subjicibiles, aut individua necessaria, nec in aliquo predicamento reponuntur: ergo ea non sunt objectum materiale scientiæ; ac proinde non sunt objectum materiale adæquatum

Metaphyficæ cum fuis oppofitis.

Refp. Dift. min. Sed ens, fubftântia, & accidens non funt fpecies fubijcibiles, aut individua neceffaria diftincta ab iis, quæ in prædicamentis reponuntur, Conc. non funt eadem, quæ in prædicamentis reponuntur, Neg. & Neg. confeq. Cùm enim nullum exiftat ens in rerum naturâ, quod non fit tale ens, & in aliqua fpecie fubftantiæ, vel accidentis, omne ens fcibile materiale ponitur in prædicamentis ratione fpecierum fubftantiæ, & accidentis, quæ omnes in prædicamentis reponuntur.

Nam *homo* v. g. eft fpecies fubjicibilis non folùm ut *homo eft*; verùm etiam ut *animal*, ut *vivens*, ut *corpus*, ut *fubftantia*, ut *ens*: & ita de cæteris. Nam, ut *animal*, eft fpecies fubjicibilis viventis cum aliis animalibus; ut *vivens*, eft fpecies fubjicibilis corporis cum aliis viventibus: ut *Corpus*, eft fpecies, fubjicibilis fubftantiæ cum aliis corporibus.

Et quamvis homo, cæteræque fpecies, quæ in prædicamentis fubftantiæ, & accidentis reponuntur, fi ut fubftantia, vel ut accidens confiderentur, non habeant veram rationem fpeciei fubjicibilis; quia ens non eft genus refpectu fubftantiæ, & accidentis: neque proindè conftituere poffint entis prædicamentum, neque definiri per genus, & differentiam; dicuntur ta-

men species analogæ entis, quia habent aliquam similitudinem speciei subjicibilis, quatenus ens de ipsis est prædicabile analogè ut quid superius de inferioribus; & quatenus verè definiri possunt per aliquid, quod substituitur loco generis, eorumque natura clarè cognosci: & in hac ratione sunt objectum materiale scientiæ. Idem dicendum de ente, etiamsi nullum habeat supra se genus.

Dico 2. Objectum attributionis Metaphysicæ est ens creatum, ut sic, abstractum, videlicet, à corporeo, & incorporeo.

Probatur. Objectum attributionis scientiæ est illud, ad quod referuntur omnia, de quibus in illa scientia tractatur, vel tanquam species saltem analogæ, vel tanquam opposita; sed omnia, de quibus tractat Metaphysica, vel tanquam species analogæ, vel tanquam opposita referuntur ad ens creatum abstractum à corporeo, & incorporeo: ergo ens creatum abstractum à corporeo, & incorporeo est objectum attributionis Metaphysicæ.

Probatur minor. Quia Metaphysica tractat de ente universali, & singulari, de substantiâ, & accidente in genere, atque de eorum oppositis; sed ens universale, & singulare, substantia, & accidens sunt quædam quasi species analogæ solius dumtaxat entis creati abstracti à corporeo, & incor-

poreo, cui ſoli convenire poſſunt, ut perſpicuum eſt: ergo omnia, de quibus agit Metaphyſica, ad ens creatum abſtractum à corporeo, & incorporeo vel tanquam ſpecies analogæ, vel tanquam oppoſita referuntur.

Objic. 1. Deus eſt objectum nobilius omni alio, & ad ipſum referuntur omnia: Atqui Deus eſt objectum Metaphyſicæ; Ergo Deus eſt objectum attributionis Metaphyſicæ.

Reſp. diſt. mai. Deus eſt objectum nobilius, ac nobiliſſimum, atque ad ipſum referuntur omnia tanquam ad primam cauſam, Conc. tanquam ad genus quoddam ſaltem analogum de ipſis prædicabile Neg. & Neg. Conſeq. quia objectum attributionis ſcientiæ genus eſt ſaltem analogum, ad quod referuntur omnia, quæ in illa ſcientia tractantur, vel tanquam ſpecies analogæ, vel tanquam oppoſita. Deus itaque eſt objectum partiale Metaphyſicæ, non objectum attributionis. Cum de nullo ſit prædicabilis, neque ullam habeat ſimilitudinem generis.

Inſtabis. Objectum ſcientiæ debet eſſe genus univocum; atqui ens creatum non eſt genus univocum: ergo ens creatum non eſt objectum Metaphyſicæ.

Reſp. neg. mai. Cum enim ſcientia totalis non ſit una, niſi unitate ordinis ſeu

relationis ; & cùm oppositorum , quorum quædam in nullo genere conveniunt, eadem sit scientia : objectum attributionis non potest esse genus univocum;sed sufficit ut ad illud referantur omnia , quæ in illa scientia tractantur , vel tanquam species analogæ, vel tanquam opposita.

Objic. 2. Omne accidens refertur ad substantiam , ergo sola substantia in genere est objectum Metaphysicæ.

Resp. dist. ant. Omne accidens refertur ad substantiam ut ad subjectum , Conc. ut ad genus analogum , & ad aliquid superius, Neg.& Neg. Conseq. nam objectum attributionis est quid superius , & universalius cæteris omnibus , de quibus tractatur in aliqua scientia. Substantia verò in genere non est quidpiam universalius accidente in genere. Quod autem accidens sit objectum partiale Metaphysicæ manifestum est. Cùm sit aliquid scibile sub eadem ratione formali ac ens abstractum à corporeo , & incorporeo. Nam accidens in genere omni enti creato tam corporeo, quàm incorporeo convenit.

Objic. 3. Metaphysica non considerat, nisi res abstractas à materia , sed solæ substantiæ immateriales , ut Deus , & Angeli abstrahunt à materia : ergo solæ substantiæ immateriales sunt objectum Metaphysicæ.

Respon. Neg. Mai. Nam Metaphysica considerat ens creatum, ut abstrahit æqualiter à materiali, & immateriali. Id est considerat ens creatum, non considerando an sit materiale, vel immateriale.

Inst. Metaphysica tractat de Deo, qui est immaterialis: ergo non considerat solum ens abstractum à corporeo, & incorporeo.

Resp. Metaphysica tractat de Deo tanquam de prima causa entis creati. Quia, cùm ea tractet de ente creato, necesse est etiam ut tractet de causa entis creati, Nam correlativorum eadem est scientia, neque cognosci perfectè potest effectus, nisi cognoscatur ejus causa. Unde Metaphysica tractat de Deo quia scientia Dei spectat ad scientiam entis creati, quod est ejus objectum attributionis.

Objic. 4. Cùm Metaphysica sit nobilissima, debet habere objectum omnium nobilissimum; atqui ens creatum (ut sic) non est objectum omnium nobilissimum, sed potiùs omnium imperfectissimum: Cùm gradus eò sint imperfectiores, quò sunt universaliores, ut patet ex arbore Porphirii; ergo ens creatum non est objectum Metaphysicæ.

Resp. Tota ratio, cur Metaphysica sit nobilissima, est quia tradit scientiam entis creati per nobilissimam causam (scilicet) Deum; & quatenus ejusdem Dei seu pri-

mæ causæ scientiam tradit, & dicitur Theologia, naturalis. Est etiam altissima (id est) superior, atque simplicior cæteris. Unde ratione sui objecti præcisè ea est omnium imperfectissima præter Logicam. Quia eò nobilior est scientia, quò magis est composita. Plures enim cognitiones magis expetendæ sunt, & magis perficiunt intellectum, quàm paucæ. Quapropter in forma respondeo; Metaphysica est nobilissima secundùm quid (id est) secundùm aliquam sui partem, Conc. secundùm se totam seu, simpliciter Neg. & Neg. Conseq.

Objic. 5. De multis agit Metaphysica, quæ rationem entis non habent, ut de ente fictitio, & de impossibili: ergo ens creatum non est objectum Metaphysicæ.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Metaphysicâ enim agit de ente rationis, & de impossibili tanquam de oppositis entis creati; quia oppositorum eadem est scientia, & quia illorum cognitio confert ad notitiam entis creati ut in Logica de fallaciis Sophistarum agitur. Nam *opposita juxta se posita magis elucescunt.*

Objic. denique Eadem scientia agit de genere, & de speciebus ei subjectis; ut patet in Physicâ, quæ de ente Corporeo tractat, & de omnibus speciebus entis corporei: ergo, si Metaphysica ens creatum in genere considerat, omnes etiam

ſpecies entis creati contemplabitur. Ac proinde nulla erit ſcientia præter Metaphyſicam.

Reſp. Diſt. ant. Eadem ſcientia agit de genere, & de ſpeciebus ei ſubjectis ſub eadem ratione formali, Conc. ſub diverſa ratione formali, Neg. & Neg. Conſeq. Enimverò quia Metaphyſica tractat de ente creato, ut abſtrahit à corporeo, & incorporeo; idcirco debet etiam agere de ſpeciebus analogis entis creati, de ſubſtantia ſcilicet, & accidente in genere, de ente univerſali, & ſingulari, quæ ſolæ poſſunt abſtrahi ab ente creato corporeo, & incorporeo: non autem de aliis.

QUÆSTIO SECUNDA.

PROEMIALIS.

De Exiſtentia Metaphyſica.

QUæritur. 1. Utrum exiſtat Metaphyſica, vel potiùs utrum poſſit acquiri Metaphiſica, ſeu ſcientia entis creati.

Reſp. Cùm ens creatum ſit aliquid naturaliter ſcibile, manifeſtum eſt quod poſſit acquiri ſcientia entis creati ſeu Metaphyſica.

Objic. 1. Quod non poteſt definiri non poteſt ſciri. Nam definitio eſt prima ſcientia

completa essentiæ rei cujuslibet, ex qua demonstrantur ejusdem rei proprietates; sed ens non potest definiri; quia definitio constat genere, & differentiâ: ens autem ut sic nullum habet genus: ergo ens non potest sciri. Idem dicendum de substantia, & accidente in genere. Ac proinde non potest acquiri Metaphysica.

Resp. Conc. Mai. Neg. Min. ad cujus probationem respondeo quod omnis definitio constare debet genere, & differentiâ, vel aliquo, quod verè substitui possit loco generis, aut differentiæ: ita ut per ipsum natura definiti clarè explicetur, & ab omni alia distinguatur. Cum igitur entis natura clarè possit explicari, & ab omni alia distingui; etiamsi ens non habeat genus, verè tamen potest definiri. Idem dicendum de substantia, & accidente in genere. Quápropter neg. conseq.

Objic. 2. Nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu; sed objectum Metaphysicæ (videlicet) ens ut sic nullo sensu percipi potest: ergo neque ab intellectu; sensus enim non percipit, nisi accidentia singularia.

Resp. Dist. Mai. Nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu per propriam, vel per alienam speciem, Conc. per propriam tantùm speciem, Neg. & Conc. Min. Neg. Conseq. Cùm enim sensus

nihil percipiat præter accidentia ſingularia; intellectus autem non ſolùm accidentia ſingularia, verùm etiam univerſale, ſubſtantiam, Animam rationalem, Deum ipſum, & multa alia percipiat, ut perſpicuum eſt: neceſſe eſt ut accidentia ſingularia intuitivè (id eſt) per propriam ſpeciem apprehendat; univerſale autem, ſubſtantiam, & cætera apprehendat abſtractivè (ſeu) per alienam ſpeciem. Quatenus ſcilicet apprehendens ſingularia intuitivè, diſcurrendo percipit deinde univerſale, ſubſtantiam, & Deum ipſum.

Quæritur. 2. Utrum Metaphyſica ſit ſcientia ſpeculativa.

Reſp. Metaphyſicam eſſe ſpeculativam evidentius eſt, quàm ut probatione indigeat. Cùm in ſui objecti contemplatione ea ſiſtat, & conquieſcat.

Quæritur denique quænam ſint cauſæ Metaphyſicæ.

Reſp. Cauſa prima Metaphyſicæ Deus eſt, qui docet hominem ſcientiam; cauſa ſecunda eſt homo, qui adjuvante Deo propria induſtria per inquiſitionem eam acquirit: ſubjectum Metaphyſicæ eſt intellectus; finis immediatus eſt hominis perfectio, ultimus eſt Creatoris omnipotentis cognitio per creaturarum cognitionem acquiſita.

PARS PRIMA.

METAPHYSICÆ TRACTATUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Entis Definitione.

CUM definitio sit prima scientia completa essentiæ cujusque rei, neque ulla unquam de re quacumque possit acquiri scientia; quandiu ejus definitio ignoratur: jure meritò statim initio Metaphysicæ.

Quæritur 1. quænam sit entis definitio.

Resp. *Ens* definitur a multis (*quod existit, vel existere potest*) sed hæc definitio non est legitima: Cùm ea sit potiùs divisio, quám definitio. Omnis si quidem legitima definitio est una, & univoca, ut perspicuum est. Hæc autem non solùm verbis, sed etiam sensu duplex existit.

Alii definiunt ens *id quod est aptum existere*, seu quod potest existere. sed hæc quoque definitio nulla est. Cùm enim id, quod actualiter existit, etiam quatenus actualiter existit, habeat veram rationem

formalem entis; Licet pro eodem inſtanti, quo exiſtit, implicet ut ſit aptum exiſtere: manifeſtum eſt quod hæc definitio non ſit legitima; cùm enti actualiter exiſtenti ea non conveniat, maximè Deo, qui cùm neceſſariò exiſtat, nullam habere poteſt aptitudinem, ſeu potentiam ad exiſtendum. Unde hæc definitio non ſolùm enti non convenit: ſed potiùs ſoli convenit non enti purè privativo ſeu, nihilo. Nam antequam mundus fieret, nihil erat, hæc tamen definitio tunc ei conveniebat: poterat enim exiſtere; quæ jam exiſtenti, non convenit ut perſpicuum eſt.

Vera itaque, & eſſentialis definitio entis hæc eſt *quod exiſtit.*

Probatur quia hæc definitio ſoli convenit enti, atque ipſius naturam clarè explicat, & ab omni alia diſtinguit: ergo hæc eſt vera definitio entis. Idem ſignificatur, cùm ens definitur à quibuſdam *quod habet eſſe* & ab aliis *quod eſt extra nihil*: obſcurius tamen, quàm par ſit ad veram atque legitimam definitionem.

Confirmatur quia per ens nihil aliud intelligitur, quàm aliquid, aliqua res, hoc eſt per ſe notum; ſed quod non exiſtit, nihil eſt, ut patet evidentiſſimè ergo *quod exiſtit* eſt vera, & eſſentialis definitio entis. Idque clariùs adhuc innoteſcet ex objectionum ſolutione.

Objic. 1. Omnis definitio constare debet genere, & differentiâ; sed prædicta definitio non constat genere,& differentiâ: ergo non est vera definitio.

Resp. Dist mai. Omnis definitio rei, quæ habet genus, & differentiam, constare debet genere, & differeniâ, conc. Id enim proprium est definitionis hujusmodi: alioquin ea non explicaret naturam rei definitæ. Omnis definitio rei, quæ non habet genus, & differentiam, constare debet genere, & differentiâ, Neg. & Conc. Min. Neg. Conseq. cùm enim tota definitionis essentia consistat in eo, quod clarè naturam rei explicet, sive id fiat per genus & differentiam, uti fieri debet in his, quæ constant genere, & differentiâ: sive per aliqua, quæ verè substitui possint loco generis, & differentiæ, perinde est. In hàc igitur definitione *quod existit*, *quod*, tenet locum generis, *existit*, tenet locum differentiæ: ita ut veram notionem entis in animum inducant.

Objic. 2. Existentia non est de essentia entis, ergo malè ponitur in ejus definitione.

Resp. Neg. Ant. quod enim non existit, nihil est.

Instabis: aliud est ens actu, aliud potentiâ, sed ens in potentiâ non existit: ergo existentia non est de essentia entis.

Resp. Neg. Mai. Nam ens actu est ens, ens autem in potentiâ non est ens; sed est illud, quod potest esse ens: ut patet ex sola terminorum explicatione.

Objic. 3. Quidquid potest concipi, est ens; sed rosa hyeme, quando scilicet non existit, concipi potest: ergo rosa est ens, quando non existit.

Resp. Neg. Mai. non enim solùm potest concipi ens, verùm etiam quidquid potest esse ens (seu) ens in potentiâ: quamvis actualiter nihil sit.

Objic. 4. non datur scientia nisi de ente; atqui datur scientia de rosâ in hyeme, quando ea non existit; ergo rosa est ens, quando non existit.

Prob. min. Quia hæc propositio *omnis rosa est substantia* demonstrari potest hyeme, quando nulla existit rosa: ergo datur scienta de rosâ, quando ea non existit.

Resp. Conc. Mai. Dist. Min. atqui rosa in hyeme non existit in individuo, & in singulari, conc. in specie, & in universali, Neg. & Neg. Conseq. Dicitur autem existere in singulari, quando dicitur, hæc rosa existit nunc, vel tali loco determinato. Quæ propositio non est objectum scientiæ. Dicitur verò existere rosa in specie, & in universali quando dicitur, *omnis rosa est* (seu) *existit substantia*, sine respectu ad tempus, aut locum determina-

tum, vel ad aliud quidpiam contingens. Et hæc propoſitio vulgò dicitur propoſitio ſecundùm eſſentiam (ſeu) de eſſentia (id eſt) de exiſtentia in ſpecie: ad differentiam prioris, quæ vulgò dicitur propoſitio ſecundùm exiſtentiam (id eſt) ſecundùm exiſtentiam ſingularem, & in ſingulari conſideratam, quæ eſt contingens.

Neceſſarium eſt enim exiſtere roſas in ſpecie, & eſſe ſubſtantias; non tamen hìc, aut illìc, aut tali tempore determinato. Univerſale namque non eſt ſubjicibile, vel prædicabile ſecundùm quid, aliquando, vel alicubi, ſed univerſaliter, & indeterminatè reſpectivè ad cotingentia; & ſcientia dicitur abſtrahere ab exiſtentia (ſcilicet) ſingulari, & contingenti (id eſt) non conſiderare exiſtentiam ſingularem: non tamen abſtrahit ab exiſtentia in ſpecie, quæ ſic conſiderata dicitur eſſentia. Quápropter.

Ad probationem Reſpondeo, quod illa propoſitio univerſalis nihil aliud ſignificat quàm *omnis roſa exiſtens ſine reſpectu ad tempus determinatum eſt ſubſtantia* vel *omnis roſa, in quacumque temporis differentia exiſtat eſt ſubſtantia*. Simili modo reſolvi debet omnis propoſitio univerſalis; ita ut ſemper includatur exiſtentia explicitè, vel implicitè ſubintelligatur, abſtrahendo tamen à tempore determinato. Alioquin,

si excludatur existentia, erit simpliciter falsa, ut patet. Similes autem propositiones universales *omnis homo est animal*, vel *omnis homo existit animal*, nam esse & existere idem sunt, dicuntur æternæ veritatis, non positivè, sed negativè: quatenus (nimirum) nullum connotant, vel consignificant tempus determinatum.

Objic. 5. Omnis vera, & legitima definitio necessariò, & simpliciter (id est) sine ulla restrictione convenit omni definito; sed prædicta entis definitio non convenit necessariò, & simpliciter omni definito: ergo non est vera definitio. Probatur min. quia hæc definitio soli Deo necessariò, & simpliciter convenit: omni vero enti creato convenit tantùm contingenter, & secundùm quid. Nam omne ens creatum existit tantùm contingenter, aliquando, alicubi, & in aliquâ tantum specie determinatâ: ergo prædicta definitio non convenit necessariò, & simpliciter omni definito.

Resp. dist. mai. Omnis vera definitio necessariò, & simpliciter convenit omni definito univoco, conc. definito analogo, neg. & concessâ minore, neg. conseq. quia prædicta definitio simpliciter accepta est vera, atque legitima entis simplicis, seu, Dei definitio, quæ enti creato convenire nequaquam potest, nisi restringatur; quia, cùm ens cratum non sit ens simpliciter; sed sit

partim ens, quatenus existit; & partim non ens, quatenus eodem instanti, quo existit, est in potentiâ ad existendum pro instanti sequenti; ejus natura non convenit univocè cum natura Entis increati simpliciter existentis: sed est partim similis & partim diversa, ut perspicuum est. Ac proinde non potest dari una entis definitio, quæ utrique simul simpliciter conveniat. Cùm igitur prædicta definitio soli enti simplici (nimirum) soli Deo convenire possit: seorsim quærenda est definitio entis creati.

Quæritur itaque 2. quænam sit entis creati definitio.

Resp. Ens creatum rectè definitur *quod existit contingenter* id est, quod ita existit, ut possit non existere, & non esse ens (seu) quod partim existit, & partim non existit.

Probatur. Quia hæc definitio omni, & soli enti creato necessariò, & simpliciter convenit, atque ipsius naturam clarè explicat: & cum præcedenti convenit analogè. Nam est partim similis, & partim diversa: sicut natura entis creati cum natura entis increati est partim similis, & partim diversa. In hoc autem similis est quod utrumque definitur (*quod existit*) & in eo diversa, quod entis creati definitioni additur *contingenter*: per quod restringitur, & partim immutatur præcedens definitio.

Confirmatur. Quia ex illa definitione omnes entis creati proprietates innotescunt. Nam ex eò, quod ens creatum non necessariò, neque simpliciter, sed contingenter existat; sequitur necessariò quod aliquando inceperit esse: quod sit ab alio productum, cùm nihil possit seipsum producere; quod sit partim ens, & partim non ens secundùm quid, aliquando, alicubi, & in aliqua tantùm specie determinatâ existens. Cùm non simpliciter existat. &c.

Evidentissimum est itaque veram, atque legitimam entis definitionem hanc esse (*quod existit*) quæ definitio est analoga respectu Dei, & creaturæ: ut fusiùs demonstrabitur paulò post. Nam tota Deo tantùm necessariò, & simpliciter convenit: creaturæ verò ex parte dumtaxat, & contingenter. Unde nomen *entis* simpliciter acceptum soli Deo proprium est, & alteri prorsus incommunicabile.

Quápropter dixit olim Deus Moysi *ego sum, qui sum*, & Moyses filiis Israel *qui est*, misit me ad vos. Hoc est nomen Dei ineffabile, & incomprehensibile; quia totam entis latitudinem significat simpliciter, & infinitè, sine limitatione, atque omnes entis perfectiones simpliciter simplices, & omnimodè infinitas, ut demonstrabitur dum de prima causa entis creati tractabimus.

CAPUT II.

De Conceptu, & Analogia Entis.

GRavis est quæstio inter philosophos, aliis cum Scoto affirmantibus ens esse univocum respectu Dei, & creaturæ, respectu substantiæ, & accidentis;aliis verò cum divo Thoma id negantibus. Verùm hæc quæstio tota versatur in æquivocatione; Quápropter, ut nihil contra veritatem dicamus: maximè cùm hic de Deo omnipotenti immediatè agatur, ritè tractanda quæstio, atque diffusiùs explicanda. Quamvis ex iis, quæ præcedenti capite dicta sunt de entis definitione. Jam sit evidenter demonstrata, atque sufficienter explicata.

Definitiones

1. Univoca sunt ea, quorum nomen idem est,ratio quoque (seu) definitio, vel natura substantiæ per nomen significanda planè (seu) simpliciter eadem id est similis.

2. Analoga sunt ea, quorum nomen idem est, ratio autem (seu) natura substantiæ per nomen significata partim similis, partim diversa.

Proprium Analogorum est, quod unâ

unâ ideâ repræſentari non poſſint, neque unâ, & eâdem definitione definiri. Alioquin eadem idea eſſet ſibi ipſi diverſa, ut perſpicuum eſt.

His ita ſuppoſitis hoc modo probari poteſt opinio Scoti, quod (ſcilicet) ens ſit univocum reſpectu Dei, & creaturæ, reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, quia non ſolùm nomen *entis* commune eſt Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti; verùm etiam ipſa ratio entis per nomen ſignificata omnibus verè, ac propriè convenit; atque unâ, & eâdem entis ideâ repræſentari poſſunt, quatenus ſunt ens: Ergo ens eſt univocum reſpectu Dei, & creaturæ, reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis.

Probatur. Ant. quia ſi quæratur cur Deus, vel creatura, accidens, vel ſubſtantia ſit ens, eadem ſemper affertur ratio, ſeu entis definitio; Nam Deus eſt ens, quia exiſtit: ſimiliter creatura eſt ens, quia exiſtit; Idem dicendum de ſubſtantia, & accidente, ut patet.

Confirmatur quia proprietates entis, ſcilicet Unitas, Veritas, & Bonitas, omnibus, & ſingulis conveniunt; ergo etiam ipſa ratio, ſeu natura entis, vndè neceſſariò fluunt illæ proprietates, in omnibus ſimilis eſt.

Objic. 1. Ratio entis non eſt eadem, ſeu ſimilis in Deo, & creaturis, in ſubſtantiâ,

& in accidente; sed partim similis, partim diversa; Ergo ens non est univocum respectu Dei,& creaturarum,respectu substantiæ, & accidentis.

Probatur. Ant. quia non eodem modo existunt Deus, & creatura; accidens, & substantia; nec existentia Dei similis est existentiæ creaturarum, quod nemo sanæ mentis negabit. Nam Deus est ens independens, & necessarium, creatura est ens dependens, & contingens; ergo non est eadem entis ratio in Deo, & creaturâ: nec unâ, & eâdem ideâ entis repræsentari possunt; cùm similes non sint. Idem dicendum de substantiâ, & accidente; nam substantia est ens per se formaliter existens; accidens verò non est ens per se formaliter existens, sed per substantiam existit,

Confirmatur. Quia si ens esset univocum respectu Dei, & creaturarum, respectu substantiæ, & accidentis; proprietates entis essent etiam necessariò univocæ, ac similes in Deo, & creaturis; in substantiâ & in accidente; cúm eæ necessariò fluant ab ente: Atqui proprietates entis non sunt similes in Deo, & creaturis, in substantiâ, & in accidente, neque unâ ideâ repræsentari possunt; ergo ens non est univocum respectu Dei, &c.

Prob. min. Quia in Deo est una trinitas, & trina unitas, est veritas essentialis, &

Bonitas pariter, quæ similes esse non possunt (ut patet), Unitati, Veritati, & Bonitati creaturarum; idem dicendum de unitate, veritate, & Bonitate, accidentis, & substantiæ. Nam illæ proprietates in substantia per se existunt, & in accidente non existunt per se, sed per substantiam; ergo &c.

Respondere possunt Scotistæ Neg. Cons. ad probationem quoque neg. consequens. quia ratio Entis præcisè, seu idea Entis abstrahit ab omnibus modis, & differentiis Entis à quibus fluit omnis diversitas tam essentiæ, quàm existentiæ, & proprietatum, Id est, Idea Entis præcisè repræsentat *Ens* (ut *Ens*) scilicet ut existens, non modum, quo existit; neque utrum sit dependens, vel independens, necessarium, vel contingens considerat.

Objic. 2. Ens infinitum, quod habet omnem plenitudinem Entis non convenit univocè cum ente finito, quod plus habet nihili, quàm Entis; sed Deus est infinitus, atque omnem habet plenitudinem Entis; creatura omnis est finita, & plus habet nihili, quàm entis; ergo ratio entis non est univoca Respectu Dei, & creaturarum.

Respondere possunt Scotistæ Dist. min. Deus est infinitus, creatura verò finita si differentiæ entis considerentur, conc.

si ens præcisè consideretur, neg. id est quàmvis Deus sit infinitus, creatura verò finita; si tamen considerentur præcisè in ratione Entis; Idea Entis sic præcisa neque infinitatem, neque finitatem entis repræsentat, sed tantùm rationem Entis;& neg. conseq.

Ut autem hæc clariùs intelligantur, notandum quod de omni Ente reali etiam indivisibili possunt plures ideæ formari, quia potest diverso respectu considerari. 1. enim considerari potest in quantùm *Ens*, seu quatenus existit. 2. quale Ens sit, vel dependens scilicet, vel independens, Creator, vel creatura. 3. inquantùm substantia, vel accidens. 4. considerari potest illius genus, illius differentia, vel proprietas. Quàmvis enim hæc omnia sint unum, & idem realiliter, & physicè, sunt tamen diversæ formalitates logicæ, seu diversa scibilia formalia, vel divesæ rationes scibiles. 1. dicitur ratio formalis entis 2. ratio creaturæ. 3. ratio formalis substantiæ, & sic de cæteris.

Objic. 3. differentiæ Entis sunt ens formaliter; ergo Deus, & creatura, accidens, & substantia differunt in ratione formali Entis. Ac proinde Ens non est univocum, &c.

Respondent Scotistæ neg. Ant. nam quamvis differentiæ entis sint idem realiter

cum Ente; non sunt tamen idem formaliter (id est) sunt unum, & idem ens sub diverso respectu consideratum.

Inst. Quidquid est in creatura pendet à Deo, ergo creatura (ut ens est) pendet à Deo formaliter.

R. Dist. Ant. quidquid est in creatura realiter, & identicè pendet à Deo, Conc. formaliter spectatum neg. nam ut jam dictum est, ens in suo conceptu formali ab omni dependentia, & independentia abstrahit.

Urgebis. Ergo creatura (ut ens) erit independens cum independentia nihil sit, nisi negatio dependentiæ.

R. Dist. subsumptum. Ergo creatura considerata ut *ens* præcisè non considerabitur ut dependens conc. non erit dependens nego. Quamvis enim omnis creatura sit dependens à Deo, potest nihilominùs considerari ut *ens* præcisè absque eo, quod consideretur quatenus dependet. Sed de his satis, omnia enim argumenta, quæ fieri solent, in idem semper recidunt, sicut & Responsiones. Concedendum itaque semper quod omnis creatura est finita, & dependens; sed semper negandum quod, quando consideratur præcisè ut *ens*, consideretur ut finita, vel dependens.

CAPUT III.

De Conceptu Entis vera sententia.

QUamvis demonstratio præcedens videatur certa, & evidens, falsam tamen esse ne dubitaveris, ut modò demonstrabimus. Hinc quanta sit solertia in veritatis inquisitione adhibenda, & quomodò singula minutim examinanda, poteris intelligere; & quantæ sit necessitatis ad demonstrationem legitima definitio. Sit itaque.

1. Concl. Ens non est univocum, sed analogum respectu Dei, & creaturæ.

Probatur Conclusio. Univoca sunt ea, quorum nomen idem est, ratio quoque, seu natura per nomen significata simpliciter eadem est in omnibus, eadem (inquam) logicè, seu similis. Hæc definitio est certa, & evidens si enim ratio, seu natura per nomen significata conveniat uni tantùm simpliciter, & alteri ex parte duntaxat; manifestum est quod ea erit partim eadem, & partim diversa; ac proinde quod erit analoga tantùn, ut patet ex definitione analogorum; atqui ratio, seu Definitio Entis (*quod existit*) soli Deo tota simpliciter convenit, creaturæ verò tantùm ex parte. Nam creatura partim existit, & maximâ ex

parte non existit; cum ea tantùm existat pro uno instanti, ac simul non existat pro aliis instantibus, pro quibus est in potentiâ ad existendum. Unde illa definitio Entis (*quod existit*) prædicari de ipsâ nequaquam potest, nisi ex parte, cum diminutione, & cum restrictione, dicendo videlicet, creatura est *quod partim existit*, & *partim non existit*; vel (quod idem est) *quod Existit contingenter*, cùm tota sine restrictione, & simpliciter de Deo prædicetur; ergo Ens non est univocum, sed analogum respectu Dei & creaturæ.

Confirmatur. Quia omnis ratio, seu definitio univoca essentialiter convenit omni definito; cum definitio sit *oratio explicans rei naturam*, seu, essentiam; nihil autem sit magis essentiale, quàm sua cuique rei essentia, atqui definitio Entis (*quod Existit*) soli Deo essentialiter convenit, creaturæ autem contingenter, nam creatura ita existit, ut possit non existere, ita est ens, ut possit non esse ens. Ergo non eadem planè, quæ est essentia entis in Deo, est essentia entis in creatura, ac proinde ratio entis non est univoca respectu Dei, & creaturæ; ut perspicuum est: nam definitio Entis, quæ est essentialis creaturæ est ista (*quod existit contingenter*) non autem (*quod existit*) hæc enim est essentialis Deo.

Cùm igitur ratio, seu essentia entis

non sit simpliciter similis in Deo & creaturâ, sed partim similis, & partim diversa; non potest dari idea Entis univoca, quæ scilicet sit una apta repræsentare Deum, & creaturam in ratione entis, & cum ipsis conjungi per prædicationem mentalem. si enim abstrahatur ratio Entis à creatura; hæc idea non poterit repræsentare rationem Entis in Deo, neque cum Deo conjungi per prædicationem: & è contra si abstrahatur à Deo. Non enim potest abstrahi à creaturâ alia ratio, seu idea Entis quàm ista (*quod ex parte existit*): quæ idea cum Deo conjungi per prædicationem nequaquam potest. ut manifestum est.

Quod autem omnis ratio, seu definitio univoca sit essentialiter, atq; simpliciter prædicabilis de omni definito; omnisq; idea univoca sit una apta repræsentare multa, & cõjungi cũ multis in prædicatione universali, confirmatur etiam evidentissimè ex partium enumeratione. Nulla enim potest assignari definitio univoca, quæ essentialiter, atque simpliciter de multis nõ prædicetur; & cujus idea una, & eadem cum ipsis non conjungatur. Sic definitio animalis essentialiter, atque simpliciter prædicatur de omni homine, de omni bove, & de omni Leone, atque eadem idea animalis sine restrictione cum ipsis conjungitur; nam omnis homo dicitur essentialiter, atque simpliciter, &

ſine reſtrictione animal ; & omnis Leo pariter. Idem patet de definitione , & ideâ ſubſtantiæ , de ideâ corporis , & viventis; nam hæc omnia eſſentialiter , atque ſimpliciter de ipſis prædicantur,non ex parte tantùm. Unde cùm ratio , ſeu definitio Entis (*quod exiſtit*) non poſſit de creaturâ eſſentialiter , atque ſimpliciter prædicari, ſed tantùm ex parte, vel contingenter; manifeſtum eſt quod ea non ſit univoca , ſed analoga reſpectu Dei,& creaturæ , ſeu partim eadem & partim diverſa.

Ratio autem cur omnis definitio univoca v. g. Definitio animalis ſit prædicabilis ſimpliciter de omni homine , de omni Leone , & cæteris ſpeciebus animalis; definitio verò entis non ſit prædicabilis ſimpliciter de creaturâ , eſt quia differentiæ animalis v. g. rationale , rugibile , & cæteræ , ſunt quædam perfectiones animalis, quibus nullo prorſus modo minuitur , ſed potiùs perficitur ratio animalis : neque enim homo minùs eſt animal ex eò quòd ſit rationalis , quam ſi rationalis non eſſet. Differentia verò entis , quæ invenitur in creaturâ , non eſt quædam perfectio entis, ſed diminutio,& defectus illius : nam omnis creatura deficit in ratione formali Entis , quatenus eſt ens ſecundùm quid , ſeu partim ens, & partim non Ens.Hinc quandò dicitur (*Ens*) nihil aliud formaliter ſi-

gnificatur quàm (*quod existit simpliciter*) quod soli Deo convenire potest; unde ratio entis non potest abstrahi à Deo. Cùm verò dicitur creatura est ens, idem formaliter significatur ac creatura est ens secundùm quid seu partim ens, & partim non ens; aliàs propositio hujusmodi esset simpliciter falsa;. Quapropter benè dicitur ens includi formaliter in suis differentiis, à quibus abstrahi, vel præscindi nequaquam potest.

2. Concl. Ens creatum non est univocum, sed analogum respectu substantiæ creatæ, & accidentis.

Probatur conclusio eodem modo, quo supra. Omnis ratio, seu definitio univoca essentialiter, atque simpliciter convenit omni definito. Si enim uni simpliciter, & alteri tantùm ex parte, atque diversimodè conveniat, manifestum est quod ea erit analoga, seu partim eadem, & partim diversa; atqui ratio, seu definitio Entis creati(*quod existit secundùm quid*, seu contingenter) omni substantiæ creatæ essentialiter, atque simpliciter convenit; omni verò accidenti ex parte tantùm, atque diversimodè: ergo ens creatum non est univocum, sed analogum respectu substantiæ, & accidentis.

Prob. min. quia omnis substantia creata est essentialiter, atque simpliciter (*quod existit secundùm quid*, seu contingenter)

omne verò accidens est essentialiter, atque simpliciter (*illud quo substantia existit aliquo modo contingenti*) non autem (*quod existit secundùm quid*, seu contingenter) nam accidens non est ens, sed Entis esse, ut clarè demonstrabimus dum de accidente: Ergò ratio entis creati omni substantiæ creatæ essentialiter, atque simpliciter convenit; omni verò accidenti ex parte tantùm, atque diversimodè ut patet ex utriusque definitione. Ratio autem cur definitio Entis creati non possit prædicari simpliciter de accidente, est quia differentia Entis creati, quæ reperitur in accidente non est aliqua perfectio, sed purus defectus, quo ex parte minuitur, & immutatur ratio entis creati; nam accidens deficit in ratione formali Entis creati.

Ex his perspicuum est totam necessariò corruere precedentem demonstrationem, quæ nimirum præsupponit abstrahi posse rationem Entis, quæ sit prædicabilis simpliciter de Deo, & creaturâ, de substantiâ, & accidente. Omnes itaque objectiones, quæ factæ sunt in præcedenti capite, sunt veræ, quàmvis obscurè fuerint propositæ; Responsiones verò falsæ; argumenta quoque falsa.

Ad primum igitur argumentum quo probatur Ens esse univocum, negandum est antecedens, quod scilicet ratio Entis

eadem simpliciter conveniat tam creaturæ, quàm Deo, tam accidenti, quàm substantiæ; atque quod unâ & eâdem ideâ repræsentari possint in ratione Entis. Cùm soli Deo simpliciter conveniat ratio Entis, creaturæ verò tantùm ex parte. Ad secundùm etiam negandum est antecedens, quod (scilicet) eadem semper affertur ratio, seu Entis definitio. Non enim est eadem simpliciter nisi tantùm secundùm voces; sed partim eadem, & partim diversa, ut patet ex jam dictis. Similiter ad tertium respondendum est.

Ex his prætereâ manifestum est nullum prorsus dari conceptum communem & univocum respectu Dei, & creaturarum, respectu substantiæ, & accidentis. Cùm conceptus Entis sit omnium primus, quidquid enim negatur de prædicato, negatur etiam de omnibus inferioribus prædicati.

Quæritur denique quænam sit analogia Entis respectu Dei, & creaturæ; tùm respectu substantiæ, & accidentis.

Resp. Ens est analogum analogiâ attributionis.

Probat. concl. Analoga Attributionis dicuntur ea, quorum nomen idem est ratio verò substantiæ per nomen significata primariò, & simpliciter uni analogo convenit, cæteris verò ex parte tantùm, & per participationem. Atqui eodem mo-

se habet ens, nam primariò, & simpliciter Deo convenit, creaturis autem ex parte tantùm, & per participationem à Deo., similiter ratio entis creati primariò, & simpliciter convenit substantiæ, accidenti verò ex parte tantùm & aliquo modo, per participationem à substantiâ, ergo ens est analogum attributionis respectu Dei, & creaturarum; & ens creatum respectu substantiæ, & accidentis.

CAPUT IV.

Utrum Ens sit genus.

1. CONCL. Ens non est genus respectu Dei & creaturæ.

Prob. concl. quia genus est universale prædicabile de multis specie differentibus, seu de multis speciebus, atqui Deus non est species; ergo ens non est genus respectu Dei, & creaturæ. Prob. min. quia omnis species vel est prædicabilis, vel subjicibilis; atqui Deus non est prædicabilis de multis solo numero differentibus, ut patet: ergo Deus non est species prædicabilis: neque est species subjicibilis, quia species subjicibilis sunt multa solo numero differentia, quæ unũ subjectum esse possunt propositionis universalis; ut in hac propositione *omnis homo est animal* omnis homo est species subjici

bilis. atqui Deus non est multa solo numero differntia, ergo Deus non est species subjicibilis.

Præterea. Omne genus est univocum, atque simpliciter prædicabile; atqui Ens non est univocum, neque simpliciter prædicabile respectu Dei, & creaturæ: ergo ens non est genus respectu Dei, & creaturæ, ac proinde Deus, & creatura plusquàm genere differunt.

2. Concl. Ens creatum non est genus respectu substantiæ creatæ, & accidentis.

Prob. Concl. Quia omne genus est univocum, atque Essentialiter, & simpliciter prædicabile de suis inferioribus, neque formaliter includitur in suis differentiis; atqui ens creatum non est univocum respectu substantiæ, & accidentis; neque enim est essentialiter, & simpliciter prædicabile de accidente, atque in suis differentiis formaliter includitur: hæc omnia iam demonstrata sunt; ergo ens creatum non est genus respectu substantiæ, & accidentis. Ac proinde substantia, & accidens plusquàm genere differunt, quàmvis propter aliquam similitudinem, quam ens habet ad genus, quatenus est aliquo modo prædicabile de inferioribus, dicatur genus analogum.

CAPUT V.

Utrum Entis Creati Essentia distinguatur ab ejus Existentia.

ENs & essentia differunt sicut abstractum à concreto, quæ scilicet distinguntur tantùm formaliter sub diverso respectu. Essentiæ autem nomine id intelligitur, quod primum in re concipitur. Hinc ratio essendi, aut forma, quâ res est, nominatur, aut quidditas, quod, quid res sit, aperiat; natura quoque dicitur, quod sit principium proprietatum, & operationum.

Quia verò ens considerari potest in genere, vel in specie; ita etiam Essentia considerari potest in genere, vel in specie. *Ens* v.g. in genere dicitur ens, in specie verò est vel homo, vel lapis, vel substantia, vel accidens; *Essentia* quoque in genere dicitur tantùm Essentia, in specie autem variis nominibus exprimitur; & est illud, quod per definitionem cujusque entis in specie designatur. Sic essentia hominis dicitur *animal rationale*, essentia leonis *animal rugibile* & sic de cæteris.

His suppositis quæritur utrum entis creati essentia distinguatur ab existentia.

Resp. Essentia creaturæ non distingui-

tur ab existentia. Hæc conclusio est contra Thomistas.

Prob. 1. Ens & Essentia sunt idem realiter, sicut existens, & existentia; atqui Ens, & existens seu *quod existit* sunt idem realiter, ut patet ex definitione entis jam demonstratâ; ergo essentia, & existentia sunt idem realiter; quæ enim sunt eadem uni tertio, eadem sunt inter se.

Prob. 2. essentia nihil est realiter, nisi existat, quod enim non existit, nihil est realiter: quod nemo sanæ mentis negabit; cùm illud sit per se notum; ergo Essentia nihil est realiter, quàm ipsa existentia.

Confirmatur. Quia ut duo realiter distinguantur, quodlibet debet esse ens sine alio; si enim unum nihil est realiter nisi per aliud, præter ipsum nihil est: ac proinde ab eo non distinguitur realiter. Atqui essentia nihil omnino est sine existentiâ, ut patet, ergo ab ea non distinguitur realiter.

Prob. 3. Essentia possibilis, & existentia possibilis sunt idem realiter; nam ens in potentiâ, & quod potest esse ens, & quod potest existere idem sunt; ergo essentia actualis, & existentia actualis sunt idem realiter; nec inter se distinguuntur.

Confirm. Quia nullo modo concipi potest essentia possibilis sine existentia possibili, neque essentia actualis sine existentia

actuali, ut patet consideranti; ergo essentia, & existentia sunt idem realiter.

Objic. 1. Quidquid recipitur distinguitur ab eo, à quo recipitur; sed existentia recipitur ab essentiâ, vel in essentiâ; ergo distinguitur realiter ab essentiâ.

Resp. Concessâ mai. neg. min. Existentia enim non potest recipi in essentiâ, cùm sint omnino idem.

Objic. 2. Actus, & potentia distinguuntur realiter; sed essentia habet rationem potentiæ, & existentia habet rationem actûs: ergo essentia, & existentia distinguntur inter se realiter.

Resp. dist mai. potentia physica distinguitur ab actu physico realiter. Conc potentia Metaphysica neg. Ratio est quia potentia physica est res quædam actu existens independenter à suo actu, à quo potest separari; ut paries ab albedine, & oculus à visione. Potentia verò Metaphysica est idẽ realiter cum suo actu, ut patet in genere, & differentiâ, quæ sunt tantùm duæ ejusdem rei ideæ vel eadem res duplici conceptu representata sub diverso respectu. Nam genus vel potiùs idea generis dicitur potentia, quia dum conjungitur cum idea differentiæ per ipsam perficitur, & determinatur ad speciem representandam. Similiter dist. min. essentia habet rationem potentiæ Metaphysicæ conc. Physicæ

Neg. & Neg. Consеq. nam eadem Entitas considerata per sua prædicata essentialia sine respectu ad tempus, vel locum determinatum, dicitur essentia, si verò consideretur respectivè ad tempus determinatum, dicitur existentia. Unde essentia & existentia sunt duo nomina ejusdē rei sub diverso respectu.

Objic. 3. Eadem entitas non potest esse simul dependens, & independens, contingens, & necessaria; atqui essentia est independens, & necessaria, existentia verò dependens, & contingens: ergo non sunt idem realiter.

Resp. Neg. Min. Nam essentia creaturæ tam est dependens, & contingens, quàm existentia, cùm nihil aliud sit realiter. Verùm quidem est quod quando consideratur ut possibilis utraque est independens, cùm nihil omnino sit realiter.

Objic. 4. Nulla creatura est suum esse, id enim soli Deo convenit, qui necessariò existit; ergo in rebus creatis essentia, & existentia distinguuntur realiter.

Resp. neg. ant. Nam implicat contradictionem quod creatura non sit id quod est, seu suum esse realiter, neque id soli Deo convenit, sed quod essentialiter, & necessariò, atque simpliciter existat: cùm tam creatura, quàm ejus esse sit essentialiter contingens.

Inst. solus Deus est sua existentia, quia

est actus purus, sed creatura non est actus purus; ergo non est sua Existentia.

Resp. neg. mai. neque enim Deus est sua existentia, quia est actus purus; cùm id conveniat creaturæ, sed ideo est actus purus quia essentialiter, & necessariò existit, nec est in potentiâ non existendi: cùm omne ens creatum sit essentialiter contingens; ita ut quando existit, sit in potentia existendi, vel non existendi pro instanti sequenti. Unde omne ens creatum est essentialiter simul actus, & potentia diverso respectu.

Objic. 5. Eadem est essentia, cùm est possibilis, & cùm actu existit; sed cùm est possibilis, distinguitur ab existentia; ergo quando actu existit, ab existentiâ quoque distinguitur.

Resp. dist. mai. Eadem est essentia, cùm est possibilis, & cùm actu existit; eadem est in conceptu concedo, à parte rei nego. Nam cùm est possibilis non est essentia, sed potest esse essentia; cùm verò existit, tunc est essentia. Similiter dist. Min. Sed cùm est possibilis distinguitur ab existentiâ negatiuè tanquam privatio à formâ Conc. positivè tanquam res à re neg. & neg. conseq.

Objic. 6. Essentia quandiu est possibilis, est indifferens ut actu existat, aut non existat; ergo realiter distinguitur ab actuali existentiâ.

Resp. dist. ant. Essentia quandiu est possibilis est indifferens indifferentiâ negativâ quatenus scilicet in suo conceptu nullam involuit contradictionem, conc. indifferentiâ positivâ, quæ (scilicet) fundatur in essentiâ, quæ est ens reale, nego. & nego. conseq. Nam essentia possibilis nihil est realiter, & ideo non potest distingui ab existentiâ, nisi tanquam privatio à formâ

Objic. Denique. Humanitas Christi habet propriam essentiam, non autem propriam existentiam, cùm ea existat per existentiam verbi; ergo essentia, & existentia realiter distinguntur.

Resp. Neg. Ant. Nam humanitas Christi habet propriam existentiam, per quam est actu subsistit autem per subsistentiam verbi; ut explicabimus dum de subsistentia.

CAPUT VI.

De Proprietatibus Entis Creati

QUæritur. Utrum Ens habeat aliquas proprietates.

Resp. Affirmativè, quod sic probo. Quidquid in Entis essentiâ clarè cognita clarè percipitur, est proprietas Entis; sed multa sunt, quæ in Entis essentiâ clarè cognitâ clarè percipiuntur; ergo multæ sunt

proprietates Entis videlicet tres incomplexæ, seu simplices; & duæ complexæ, seu compositæ.

1ª. Entis proprietas simplex, est ista *quodlibet Ens est unum Ens* (id est) quodlibet ens est id, quod est, & nihil aliud.

2ª. Est hæc *quodlibet Ens est verum ens* idest, quodlibet ens est id, quod est sine falsitate.

3ª. Denique est ista *quodlibet ens est bonum ens*, idest, quodlibet Ens est id quod est sine defectu.

Proprietates verò complexæ sunt eæ quæ sequuntur.

Prima est *operari sequitur esse*, id est priùs est esse, quàm operari, & operatio fluit ab Entis essentia, ita ut qualis est entis essentia talis sit operandi potentia.

Secunda est *impossibile est idem simul esse, & non esse.*

Omes autem prædictæ proprietates sive complexæ, sive incomplexæ omni enti analogè conveniunt, quod nemo sanæ mentis negare potest; unde transcendentales dicuntur, id est, superiores omnibus prædicamentis, de quibus prædicabiles sunt.

CAPUT VII.

De Unitate Entis.

UNum vulgo definitur *quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio*; nam ut res sit una primùm necesse est, ut non sit divisa in se; secus non una erit, sed multiplex. Quàmvis autem res, quæ una est dividi possit in partes, ut unus homo in plura membra; non tamen dividi potest in plures homines.

Verùm hîc definitur *unum*, quod non est proprium Entis, neque convenit omni Enti. Alia nimirum est unitas, quæ opponitur distinctioni, & hæc omni Enti convenit; alia, quæ opponitur divisioni, quæ soli substantiæ subsistenti propria est. Nam corpus humanum est unum corpus, & unum Ens, quàmvis non sit ab animâ divisum; & quælibet Anima rationalis est una, licet ea non sit à corpore divisa: & quodlibet accidens est unum, quamvis non sit à subjecto, nec ab aliis ejusdem subjecti accidentibus divisum, ut perspicuum est.

Unum igitur, quod est proprium Entis, optimè definitur *quod est indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio*, quamvis autem res, quæ una est, distinguatur in partes; ut unus homo in plura membra, non tamen distinguitur in plures ho-

mines, unde quilibet homo est indistinctus in se.

Quæritur itaque quid unum addat ipsi Enti, an positivum quid, an solam negationem; & in quo propriè unitatis ratio consistat.

Resp. Unum nihil positivum addere ipsi Enti, sed esse ipsum Ens respectivè consideratum, quatenus scilicet dicit negationem alterius cujuscunque. Idem dicendum de vero, & bono, nam est eadem ratio. Quàpropter proprietates simplices Entis sunt ipsum Ens sub diverso respectu consideratum; illi autem respectus sunt meræ negationes. Unde Ens dicitur *unum*, quia est *id, quod est, & nihil aliud*; dicitur *verum*, quia est *id, quod est, sine falsitate*; dicitur denique *bonum* (id est) perfectum, quia est *id, quod est sine defectu*: ubi vides præter ens nihil aliud esse, quàm negationes.

Prob. Concl. Si *unum* aliquid positivum adderet Enti, illud utique unum esset, idque per aliud positivum; atq; sic res abiret in infinitum; ergo unum nihil addit positivum ipsi Enti, sed tantùm negationem alterius. Hæc est demonstratio ab impossibili.

Probatur itaque conclusio per demonstrationem positivam. Quidquid est, per id, per quod est, non est aliud ab eo, quod est; hoc est per se notum; Ergo per

id., per quod est, negat, & excludit omne aliud. Ac proinde unum nihil addit ipsi enti positivum.

Confirm. Quia positâ negatione alterius Ens statim intelligitur esse unum, seu distinctum à quolibet alio, sublatâ negatione alterius, jam nulla concipitur unitas. Quapropter *unum* in recto, seu pro primario, & principali significato significat negationem alterius; in obliquo verò, seu pro minùs principali significato significat ipsum Ens; vel quod Idem est *unum* significat formaliter negationem alterius, materialiter verò ipsum ens. Unde *unum* est proprietas Entis, non unitas; neque enim dicimus ens esse unitatem, sed unum. Similiter *verum* significat formaliter negationem falsitatis, & *bonum* negationem defectùs.

Objic. Entis realis proprietas est quid reale positivum; sed unum est realis proprietas entis; Ergo in negatione non consistit.

Resp. Dist. Mai. Entis realis proprietas est quid reale positivum in obliquo concedo; in recto nego; concessâ minore Dist Consеq. Ergo in sola negatione non consistit Conc. negationem non dicit formaliter nego.

Inst. Negatio illa non est perfectio, Ergo unitas non est perfectio quædam, quod videtur absurdum.

Resp.

Resp. Neg. Conseq. neque enim absurdum est unitatem nullam importare perfectionem positivam realiter distinctam ab ente; cùm nihil addat positivum ipsi enti.

Cùm itaque *unum* non distinguatur ab ente realiter, hinc sequitur quod qualis est entitas, talis sit unitas. Ita ut si entitas fuerit simplex, erit quoque simplex unitas; si composita, composita, si finita, finita; si vero fuerit infinita Entitas, erit quoque infinita unitas, si accidentalis, accidentalis, si substantialis, substantialis: si denique universalis, vel singularis fuerit entitas, erit quoque unitas universalis, vel singularis, physica, vel moralis, si Entitas fuerit physica, vel moralis; quæ omnia veritati bonitati communia sunt.

Quæritur. Cùm *unum* dicatur *quod est indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio*, utrum non solùm indistinctio in se sed etiam distinctio à quolibet alio ad primariam rationem unitatis spectet.

Resp. Quando *Ens* dicitur *indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio*, nihil aliud significatur, quàm quod *Ens est id quod est, & nihil aliud*, & ideò utrumque ad primariam unitatis rationem spectat; quin imò *distinctum à quolibet alio* idem planè significat, neque enim potest quid-

piam esse distinctum à quolibet alio, nisi sit indistinctum in se, ut patet. Unde illud *indistinctum in se* additur tantùm majoris explicationis gratiâ.

CAPUT VIII.

De Veritate, & Bonitate Entis.

QUæ supersunt de veritate, & bonitate Entis breviter percurrenda sunt; cùm nulla ferè supersit difficultas, nisi in quo consistat præcisè veritas, similiter & bonitas Entis.

Veritas Entis duplex est, alia nempe est absoluta, & alia relativa. Absoluta est quà Ens sine ordine ad aliud est verum Ens; relativa est, quà verè intelligibile est ut est; Ens itaque dicitur verum absolutè, quia est *id quod est sine falsitate*, aurum v. g. dicitur absolutè, verum, quia est aurum sine mixtione alterius cujuscumque rei. Unde manifestum est *verum* nihil aliud dicere in recto præter negationem,& in obliquo ipsum ens.Intelligibile verò dicit formaliter respectum ad intellectum, & materialiter ipsum ens, nam omne ens est intelligibile per id, per quod est. Ut patet.

Sic aliud est bonum absolutum, & aliud respectivum. Bonitas absoluta est ea,

quâ ens in se sine ordine ad aliud perfectum est, & completum. Ens itaque dicitur bonum absolutè, quia, videlicet, nihil deest illi, ad hoc ut sit, id quod est. Bonitas verò relativa est convenientia quædam, ob quam quælibet res est bona alteri, quatenus ei per suam Entitativam perfectionem accommodatur. Sic omnis creatura est bona, quia confert ad perfectionem & integritatem universi. Cæterùm veritas absoluta dicitur primaria proprietas entis, & veritas relativa dicitur proprietas secundaria, quia prius est absolutum relativo. Idem dicendum de bonitate absolutâ, & relativâ

CAPUT IX.

De Principiis Entis.

Principium est *primum, ex quo aliquid est*. Unde tres sunt principiorum species, nimirum principium productionis, principium constitutionis, & principium cognitionis, seu scientiæ entis.

Principium productionis entis est primum, ex quo est entis productio, scilicet non ens, seu privatio entis, vel possibilitas entis. Non enim ex ente produci potest ens, sed ex non ente, ut patet. De

hoc principio tractabimus dum de non ente agemus.

Principium constitutionis entis *est primum, ex quo est entis constitutio* id que duplex est, nimirum, genus & differentia, ex quibus constituitur entis essentia. Et de his jam tractavimus dum de entis definitione.

Principium cognitionis entis *est primum, ex quo est entis cognitio, seu scientia* videlicet cognitio certa, & evidens, ex quâ alia entis cognitio certa, & evidens erui potest.

Duplex est autem cognitionis, seu scientiæ principium, nempe aliud est principium per se notum, & aliud non per se notum.

Principium non per se notum est, quod priùs demonstrari potest, & debet. Ut sunt omnes ferè rerum definitiones, quæ ad earumdem rerum proprietates demonstrandas inserviunt.

Principium per se notum est illud, quod probatione non indiget, & quod ita certum, & evidens est; ut à nemine sanæ mentis negari possit. Qualia sunt *implicat idem simul esse, & non esse*; vel *operari sequitur esse* vel *totum est majus suâ parte* & cætera hujusmodi, quæ vocantur cognitiones, seu propositiones per se notæ, vel axiomata.

Gravis eſt autem quæſtio inter philoſophos quodnam ſit primum principium metaphyſicum per ſe notum, ad quod omnis tandem entis cognitio certa, & evidens, ſeu ſcientia reſolvatur; nihilque certi hactenus hac de re ſtatutum eſt. Alii enim primum principium eſſe exiſtimant illud axioma logicum *contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera.* Alii autem *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.* Carteſius denique primum principium eſſe arbitratur illam propoſitionem *ego cogito, ergo ſum aliquid cogitans.* Sed neque ille, neque alii primum principium adinvenerunt. Quàpropter, ut primum principium reperiamus cognitionis rerum, maximè enitendum eſt; alioquin nulla unquam poterit acquiri entis ſcientia, ſeu cognitio certa, & evidens. Hoc autem Deo dante præſtabimus, & quodnam ſit primum principium ſequenti capite clarè demonſtrabimus.

CAPUT X.

De Primo principio Cognitionis Entis.

SUppono I. quod in Logica demonſtratum eſt, nimirum de quolibet ente ſcibili, ſive ſit ſubſtantia, ſive ſit accidens, quatuor tantùm eſſe ſcibilia, ſcilicet genus, differentiam, ſpeciem prædicabilem,

& proprium. De homine v. g. sciri potest quod sit *animal*, quod sit *rationalis*, quod *animal rationale* sit ejus essentia, vel species prædicabilis, quod sit *risibilis, admirativus*, &c. & sic de quolibet ente scibili.

Suppono. 2 Quod nihil de istis sciri potest, nisi per effectum immediatè, vel saltem mediatè. Nam cognosci non potest de homine quod sit *animal*, nisi quia sentit, quod sit *rationalis*, nisi quia raciocinatur: & sic de cæteris. sic enim argumentor, *homo sentit, Ergo est sensitivus; homo ratiocinatur, Ergo est rationalis: homo admiratur, & ridet, Ergo est admirativus, & risibilis; homo videt, audit, gustat, odoratur, Ergo est visivus, auditivus, gustativus, & odorativus.* Deinde quæro quid horum omnium sit prius, & universalius de multis specie differentibus prædicabile, à quo alia necessariò fluunt, & diligenti factâ perquisitione, atque attentâ meditatione, reperio quod *sensitivum* sit prædicabile de multis specie tantùm differentibus, prius, & universalius auditivo, gustativo, & odorativo, quæ à sensitivo necessariò fluunt: atque ita sensitivum, seu *animal* esse genus hominis. posteà * reperio quod *rationale* sit prædicabile de solo numero differentibus prius, & universalius *risibili*, & *admirativo*, & cæteris.

Unde certò, & evidenter concludo quod *animal*, & *rationale* sunt genus, & differentia, seu essentia hominis, cætera sunt ejus proprietates.

Dices. Proprietates in ipsa clara cognitione essentiæ, clarè percipiuntur, atque ita non est necesse quod ab effectu cognoscantur.

Resp. 1. Proprietates tum ab effectu cognosci possunt, tum ex ipsâ clarâ cognitione essentiæ, quæ nisi ab effectu cognosci minimè potest; & sic vel immediatè, vel mediatè ab effectu cognoscuntur proprietates.

Resp. 2. Proprietates in ipsâ clarâ cognitione essentiæ clarè cognoscuntur quod sint proprietates; quod autem sint, non semper cognoscitur in clarâ cognitione essentiæ; sed ut plurimùm priùs cognoscitur quod sint, quàm quod sint proprietates. De homine v. g. aliquando priùs cognoscitur ab effectu quod sit risibilis, quam cognoscatur ex clarâ cognitione essentiæ quod risibilitas sit ejus proprietas.

His Ergo suppositis quæritur primum principium Metaphysicum universalissimum, ex quo demonstrari possint illa quatuor prædicabilia de quolibet ente scibili. Cùm enim dico *homo sentit, ergo est animal; homo ratiocinatur, ergo est rationalis: homo admiratur, & ridet*

Ergo est admirativus, & resibilis. Hæc sunt tantùm Enthymemata, seu syllogismi imperfecti, quibus deest primum principium, seu prima propositio universalior, sine qua fieri nullo modo potest demonstratio perfecta, ut patet. Quod autem sentiat, vel ratiocinetur, vel rideat, hoc est per se notum cognitione evidenti sensuum, & indemonstrabile; atque ideò est principium per se notum sed speciale, ut manifestum est.

Primum itaque principium vniversalissimum omnium scientiarum est illa cognitio, seu propositio per se nota, quæ est proprietas complexa entis scilicet, *operari sequitur esse*, id est operandi potentia fluit necessariò ab entis essentia, & operatio sequitur esse atque naturam entis imitatur, ita ut qualis sit natura entis, talis sit natura operationis. Nam ex hoc principio omnia prædicta Enthimemata ad perfectæ demonstrationis formam reducuntur, ut sequentibus patet exemplis.

Operari sequitur esse,
Atqui omnis homo sentit:
Ergo omnis homo est sensitivus.
Operari sequitur esse,
Atqui omnis homo ratiocinatur:
Ergo omnis homo est rationalis.
Operari sequitur esse,
Atqui omnis homo admiratur:

Ergo omnis homo est admirativus. & sic de cæteris.

Si verò jam demonstratâ essentiâ per ipsam demonstrentur proprietates, quæ in ipsâ clarâ cognitione essentiæ vel modicâ adhibitâ attentione clarè percipiuntur; essentia ipsa jam demonstrata erit quidem principium immediatum, quo demonstrantur proprietates: sed cùm ipsa non possit esse principium hujusmodi, nisi jam supponatur demonstrata per illud primum principium Metaphysicum *operari sequitur esse.* manifestum est quod *operari sequitur esse* magìs, & prìus est principium, quo demonstrantur proprietates, licet non immediatum, quàm ipsa essentia; nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. Quomodo autem ex ipsâ essentia demonstrentur proprietates sequenti exemplo perspicuum fit.

Omne animal rationale est admirativum, scientiarum capax &c.
Sed omnis homo est animal rationale,
Ergo omnis homo est admirativus, est scientiarum capax, &c.

Sed ut manifestè apareat quod (*operari sequitur esse*) sit semper primum principium universalissimum respectu proprietatum sequens exemplum tibi exhibeo.

Operari sequitur esse,
Sed omnis homo sentit, & ratiocinatur.

Ergo omnis homo est animal rationale.
Sed omne animal rationale est admirativum, &c.
Ergo omnis homo est admirativus,&c.

In hoc enim exemplo perspicuum fit quanta sit posterioris conclusionis cum priori connexio ; cùm prior loco majoris propositionis , atque primi principii inserviat respectu posterioris. Tum quanta sit utriusque dependentia à primo illo principio (*operari sequitur esse*) ex quo prior conclusio immediatè , posterior verò mediatè deducitur.

Sive igitur proprietates ab effectu demonstrentur , sive ab essentiâ jam demonstratâ ; cùm essentia non possit demonstrari, nisi ab effectu ; manifestum est illud principium (*Operari sequitur esse*) esse omnium primum,& universalissimum, cùm ad illud omnia tandem resolvantur , atque per illud omnia immediatè , vel mediatè demonstrentur. Id autem non solùm intelligendum est de propositione affirmativâ , verùm etiam de conclusione negativa. Nam si voluerim probare lapidem non esse sensitivum , aut rationalem , sic argumentabor.

Operari sequitur esse ,
Atqui nullus unquam lapis sentit , aut ratiocinatur ,

Ergo nullus lapis est sensitivus, aut rationalis.

Si enim lapis esset sensitivuus, aut rationalis; necesse esset, ut saltem aliquando sentiret, aut ratiocinaretur.

Ex his manifestum est primò quod illud principium Cartesii (*ego cogito, ergo sum aliquid cogitans, seu principium cogitationis*) non est primum principium; cùm illud sit singulare, atque ad solius demonstrantis Essentiam vel proprietates ipsi tantùm demonstranti exhibendas inservire possit. Tum quia illud primum principium universalissimum necessariò exigat, ut ad perfectæ demonstrationis formam reducatur hoc modo

Operari sequitur esse,
Atqui ego operor, seu cogito,
Ergo sum aliquid cogitans.

unde quando prima propositio verbis non exprimitur semper subintelligitur, sicut dictum est de Enthymemate in logicâ.

Secundò manifestum est etiam illud axioma (*impossibile est idem simul esse, & non esse*) quàmvis sit universalissimum; non esse tamen primum principium, cùm illud sit negativum, nec per ipsum aliquid positivè demonstrari possit: sed tantùm per illud pervicaces confundi possint reductione scilicet ad impossibile. Ut si quis hujus syllogismi consequentiam negaret

Operari sequitur esse,
Atqui omnis homo ratiocinatur,
Ergo omnis homo est rationalis.

Is convinceretur per illud axioma (*impossibile est idem simul esse, & non esse*) dicendo videlicet, jam concessisti quod operari sequatur esse, & quod omnis homo ratiocinatur, ergo concessisti quod sit rationalis; ergo cùm negas consequentiam quod, scilicet, omnis homo sit rationalis, concedis idem simul esse, & non esse.

CAPUT XI.

De Oppositis Entis.

POstquàm de naturâ; & proprietatibus entis egimus, non erit incongruum, sed potiùs methodo scientiæ valdè consentaneum de ejusdem entis oppositis agere. Opponitur autem enti non ens, unitati entis opponitur distinctio, veritati falsitas, bonitati malitia, seu defectus. Primò itaque de non ente tractabimus, 2°. de distinctione entis, 3°. de falsitate entis, seu de ente fictitio, & chymerico, 4°. denique de entis defectu, seu de ente deficiente videlicet de ente creato.

CAPUT XII.

De Non Ente.

NOn ens definitur (*quod non existit*) definitione scilicet negativâ, non enim potest non enti definitio positiva convenire.

Aliud autem est non ens absolutè, & simpliciter, cui scilicet absolutè, simpliciter, & necessariò convenit definitio non entis (*quod non existit*) cujusmodi sunt quæ contradictionem involvunt, ut *homo-Leo, lapis sensitivus*, & cætera. Nam homo dicit essentialiter negationem Leonis, sicut leo negationem hominis, & lapis negationem sensitivi. Ac proinde *homo-leo*, & alia hujusmodi sunt non entia simpliciter, & absolutè, quibus omnibus, & solis convenit simpliciter definitio non entis.

Proprium non entis hujusmodi est 1°. quod sit absolutè impossible, seu quod nullibi, & nunquam possit existere, quia videlicet ipsi definitio non entis (*quod non existit*) essentialiter, atque simpliciter convenit. 2°. quod concipi nullo modo possit conjungendo scilicet ideam hominis cum idea Leonis; ita ut una & eadem idea repræsentet hominem, & Leonem ut unum ens: quia nimirum hoc implicat contra-

dictionem. Nam ſicut homo dicit negationem Leonis,ſic idea hominis dicit negationem ideæ Leonis, & è contra, alioquin ea non eſſet idea hominis repræſentativa, ut patet. Hinc dicitur non ens ſimpliciter quod in ſuo conceptu contradictionem involvit. Iſtæ autem proprietates ſunt negativæ, ſicut definitio non entis.

Aliud eſt non ens ſecundùm quid, quia nimirum eſt partim non ens, & aliquo modo ens, quatenus cùm nihil ſit actualiter poteſt tamen eſſe ens ſecundûm quid. Unde dicitur ens in potentiâ, ſeu ens poſſibile, vel ens privativum. Nam privatio entis dicit aptitudinem, ſeu poſſibilitatem exiſtendi, quâ nihil prius excogitari poteſt. Quapropter dicitur pura privatio, ſeu nihilum. hujuſmodi verò non ens ſecundùm quid definitur (*quod non exiſtit contingenter*) ſeu quod non exiſtit, & poteſt exiſtere ſecundùm quid. Nam non ens ſecundùm quid idem ſignificat quod privatio, ſeu poſſibilitas entis ſecundùm quid. Hæc definitio eſſentialiter, atque ſimpliciter convenit omni, & ſoli non enti ſecundum quid, qualia ſunt non homo, id eſt,homo non exiſtens, ſeu poſſibilis, non lapis, non Leo, & cætera hujuſmodi conſiderata in ratione non entis.

Proprium non entis ſecundum quid eſt 1°.quod poſſit ab alio,alicubi,aliquando,&

in aliqua ſpecie determinatâ è nihilo produci per creationem tantum. Cum nihil prius excogitari poſſit, ex quo producatur, neque ſe ipſum producere poſſit ; quod enim non exiſtit operari nequaquam poteſt. 2°. quod poſſit concipi ejus eſſentia, ſeu exiſtentia poſſibilis. Ut quando concipitur *animal rationale*, vel *animal rugibile*. ex eo enim quod ſit poſſibile *animal rationale*, ſequitur neceſſariò quod poſſit concipi, in quo autem conſiſtat poſſibilitas entis ſequenti capite declarabitur.

CAPUT XIII.

De poſſibilitate Entis.

ALia eſt potentia entitativa, ſeu poſſibilitas entis ; alia potentia paſſiva entis.

Potentia entitativa eſt ea, quâ id, quod non exiſtit, ac proinde nihil eſt actualiter, poteſt è nihilo produci, & exiſtere.

Potentia verò paſſiva entis eſt ea, quâ id, quod jam exiſtit, & eſt ens, poteſt fieri tale ens, vel tali modo exiſtere per ſui mutationem accidentalem.

Sic materia corporum compoſitorum, quæ nihil aliud eſt, quám multitudo corporum ſimplicium, ut explicabimus in Phyſicâ, antequám exiſtat, eſt potentia

entitativa, seu ens in potentiâ; quod è nihilo tantùm produci potest per creationem. Cùm verò existit, est potentia passiva, quia per sui mutationem accidentalem fieri potest corpus compositum, corpus vivens, corpus sensitivum, & cætera, quæ ratione materiæ, ex quâ componuntur, quando ipsa non existit, dicuntur esse in potentiâ entitativâ: cùm verò materia, ex quâ fieri possunt, existit; dicuntur esse in potentiâ passivâ materiæ, ex quâ nempè fieri possunt per generationem. Prior dicitur possibilitas entis Metaphysica, posterior verò possibilitas physica, quæ necessariò includit, ac præsupponit possibilitatem Metaphysicam, ut patet.

Itaque de possibilitate entis Metaphysicâ quæritur in quo formaliter consistat; an scilicet ideo res sit possibilis quia fieri non repugnat, an quia Deus potest eam producere.

Resp. Alia est possibilitas entis absoluta, quæ in eo formaliter consistit quod fieri non repugnet, id est, quod in suo conceptu nullam involvat contradictionem. **Alia est possibilitas respectiva, quæ in eo formaliter consistit quod Deus possit illud producere, ita ut possibilitas entis Metaphysica utramque simul essentialiter includat.**

Prob. 1ª. Pars Concl. Illud est possibile quod esse potest, quod esse non re-

pugnat, quod in ſuo conceptu nullam involvit contradictionem, vel quod concipi poteſt, & quod ſi ſupponatur factum nulla ſequitur contradictio. Hæc omnia idem ſignificant, ac per ſe nota ſunt; Ergo abſoluta entis poſſibilitas in ipſius eſſentiæ non repugnantia formaliter conſiſtit.

Confirm. Poſſibile, vel quod eſſe poteſt per illud formaliter eſſe poteſt per quod formaliter erit, cùm fuerit factum, atqui poſſibile, cùm fuerit factum, per ſuam eſſentiam formaliter erit; Ergo antequam fiat per ſuæ eſſentiæ non repugnantiam eſt formaliter poſſibile.

Confirm. Iterum quia oppoſitorum eadem eſt ratio, ſed impoſſibile non eſt formaliter impoſſibile per reſpectum ad omnipotentiam Dei; ſed quia formaliter repugnat; Ergo nec poſſibile eſt formaliter, & abſolutè poſſibile per reſpectum ad omnipotentiam Dei.

Probat Min. Quia ſi impoſſibile eſſet formaliter impoſſibile per reſpectum ad omnipotentiam Dei, omnipotentia Dei, per quam omnia effectivè poſſibilia ſunt, eſſet ratio formalis impoſſibilitatis, vel impotentiæ ut patet, Ergo omnipotentia Dei eſſet formaliter impotentia. Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis, quod manifeſtam involvit contradictionem.

Probatur. 2ª. Pars Concl. Quod ſcilicet

possibilitas relativa ab omnipotentiâ Dei sit repetenda. Possibile est quod non existit, & potest existere, sed non potest existere à se ipso; si enim se ipsum producere posset, posset operari antequàm existeret, quod implicat: Ergo non potest existere nisi ab alio existente; ac proinde possibile dicit essentialiter respectum ad causam existentem, per quam produci potest. Implicat enim unum concipi sine alio. Cum igitur omne ens secundùm quid sit priùs possibile, quàm existens; sintque infinita possibilia hujusmodi ab æterno; necesse est ut sit ens essentialiter ab æterno existens infinitæ potentiæ, à quo omne possibile è nihilo produci possit: aut certè nullum datur possibile, cùm sit eadem ratio de omnibus. Manifestum est igitur possibilitatem relativam, quâ ens dicitur effectivè possibile, in eo formaliter consistere, quod Deus illud producere possit. Neque enim dici potest nullum esse possibile, ut patet ex iis, quæ modò existunt, possibilibus.

Objic. Quod res sit possibilis id pendet à Deo. Ergo res est possibilis quia à Deo fieri potest.

Resp. Dist. Ant. Quod res sit possibilis relativè, id pendet à Deo Conc. quod sit possibilis absolutè Neg. Similiter Dist. Conseq. Ergo res est possibilis relativè

quia à Deo fieri poteſt Conc. Eſt poſſibilis abſolutè, quia à Deo fieri poteſt, nego.

Inſt. Vel poſſibile formaliter ut poſſibile pendet à Deo, vel Deus pendet à re poſſibili; ſed hoc dici non poteſt, potentiam Dei activam à re poſſibili pendere; Ergo res eſt poſſibilis, quia à Deo fieri poteſt.

Reſp. Neg. Mai. Neque enim poſſibile, ut formaliter & abſolutè poſſibile, pendet á Deo, neque Deus pendet à re poſſibili; cùm res poſſibilis nihil omnino ſit quàm mera non repugnantia, Deus autem exiſtat eſſentialiter.

Urgebis. Illa potentia entitativa eſt aliqua perfectio realis, Ergo à Deo eſt repetenda.

Reſp. Neg. Ant. Nam illa potentia entitativa nihil omnino eſt, quàm mera non repugnantia; neque ullam prorſus dicit perfectionem poſitivam.

Ens itaque poteſt tripliciter conſiderari, 1°. Quoad eſſe actuale, quo modo dependet neceſſariò ab actuali influxu Dei, ſine quo repugnat aliquid eſſe extra Deum. 2°. Quoad eſſe merè poſſibile idque abſolutum, quod conſiſtit in non repugnantia ad exiſtendum, quæ cùm nihil ſit poſitivum; ſed tantùm mera privatio; ab influxu Dei pendere nequaquam poteſt. 3°. Quoad eſſe poſſibile reſpectivum conſi-

ſtens in denominatione extrinſecâ petitâ à cauſâ potente producere, quo modo poſſibilitas relativa creaturarum pendet à Deo, ſeu potiùs involvit potentiam Dei; eò quòd creaturas ſic eſſe poſſibiles nihil aliud ſit, quàm Deum habere potentiam eas producendi.

Cùm autem res quælibet poſſibilis poſſit concipi per ſua prædicata eſſentialia, ſine exiſtentia actuali, ut quando concipitur *animal rationale*, in quo ſenſu præcisè à Deo non dependet; cùm ſic nihil ſit actu, ſed tantùm in conceptu; inde quidam malè colligunt dari actu aliquod eſſe eſſentiæ æternum, & à Deo independens, ſeu rerum eſſentias eſſe ab æterno independenter à Deo; atque ideo propoſitiones hujuſmodi(*homo eſt animal rationale*) & alias eſſe æternæ veritatis; cùm tamen abſolutè veræ non ſint, ſed tantùm ex ſuppoſitione quod homo exiſtat.

CAPUT XIIII.

De Diſtinctione Entis, & primùm de Diſtinctione Reali.

EA diſtinguuntur inter ſe quæ non ſunt unum, & idem, ac proinde diſtinctio, & non identitas idem ſunt.

Alia eſt autem diſtinctio realis, &

alia distinctio rationis, ut volunt Thomistæ, & alii cùm ipsis non pauci.

Distinctio realis est duplex, alia nempè dicitur realis major & alia realis minor.

Distinctio realis major est inter duas res, seu entitates, quarum una à parte rei, & nemine cogitante non est alia; qualis est inter Petrum, & Paulum; vel inter hominem, & lapidem. Hæc autem distinctio est duplex. Nam vel est inter duas res, quæ inter se essentialiter non differunt ut duo lapides, & dicitur simpliciter distinctio realis major; vel inter duas res, quæ diversas habent essentias, seu definitiones adæquatas, ut homo, & leo, & hæc dicitur non solùm distinctio realis major, verùm etiam distinctio formalis realis major. Ita ut homo non solùm distinguatur realiter, sed etiam formaliter à parte rei à leone. Quia videlicet non tantùm distinguitur, verùm etiam essentialiter differt à leone;

Distinctio realis minor est inter rem, & modum, ut inter digitum, & inflexionem digiti; licet enim inflexio digiti non possit existere sine digito, potest tamen digitus existere sine inflexione. Dicitur itaque realis minor, quia non est inter duas res, seu duas entitates, sed inter rem, & modum rei.

Duabus præcedentibus distinctionibus

realibus additur tertia, quæ dicitur virtualis, quâ scilicet una, & eadem entitas indistincta à parte rei actualiter, duabus, vel pluribus entitatibus æquivalet. Ut *homo*, quàmvis sit una, & eadem entitas actualiter indistincta, virtualiter tamen est multiplex, idest, æquivalet pluribus. Quia nimirum est substantia cum lapide, est vivens cum plantis, sensitivus cum animalibus, & rationalis cùm Angelis. Ideò habet virtutem plurium, id est æquivalet pluribus à parte rei. Quid sit verò, & quotuplex distinctio rationis sequenti capite explicabimus, ne variis propositis distinctionibus confundatur intellectus. De Distinctione itaque reali tum majori, tum minori.

Quæritur. 1°. per quid una res ab alia realiter distinguatur.

Resp. Per propriam entitatem nam quælibet res v. g. lapis realiter distinguitur à ligno per id, per quod est lapis. Tota enim, & formalis ratio cur lapis non sit lignum, est quia lapis est; atqui lapis est per propriam entitatem lapis. Ergo per eandem entitatem à ligno realiter distinguitur. Sic quodlibet ens per propriam entitatem *est id quod est & nihil aliud.*

Quæritur. 2°. Quænam sint indicia certa; & evidentia distinctionis realis.

Rep. 1°. Cùm ſit evidentiſſimum quod idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe; evidentiſſimum quoque eſt ea inter ſe realiter diſtingui, quorum unum altero non exiſtente exiſtere poteſt. Cùm enim id, quod exiſtit, ſit, & quod non exiſtit, non ſit; ſequeretur idem ſimul eſſe, & non eſſe: ſi realiter non diſtinguerentur, quod planè repugnat. Idque intelligendum ſive utrumque poſſit exiſtere ſeparatum, ſive alterutrum. Ut brachium poteſt exiſtere ſine motu, quamvìs motus brachii non poſſit exiſtere ſine brachio. Et ideò hæc diſtinguntur realiter.

Reſp. 2°. Quod cùm idem ſibi ipſi realiter oppoſitum eſſe non poſſit, omnis oppoſitio realis eſt ſignum evidens diſtinctionis realis inter ea, quæ realiter, & à parte rei opponuntur vel ut contraria, aut privantia, vel ut correlativa, aut contradictoria. Licet contingere poſsit, ut ab invicem ſeparari non poſſint. Hoc autem dicitur ſpecialiter propter ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium; quia ſcilicet Perſonæ divinæ inter ſe realiter diſtinguuntur, quia relativè opponuntur; quamvis ab invicem ſeparari nullo modo poſſint.

Objic. Diſtinctio realis debet poni inter rem, & rem; Ergo illa, quæ eſt inter rem, & modum realis dici non debet.

Reſp. Neg. Ant. Quia diſtinctio realis

illa est quæ actu reperitur in rebus ante mentis operationem; qualis est non solùm ea quæ reperitur inter rem & rem, seu realis major: verùm etiam ea, quæ reperitur inter rem, & modum, qualis est realis minor.

CAPUT XV.

De Distinctione rationis.

DIstinctio rationis est ea, quam intellectus excogitat, cùm ea distinguit, quæ à parte rei sunt unum, & idem.

Distinctio rationis est duplex, alia est rationis ratiocinantis, alia rationis ratiocinatæ.

Distinctio rationis ratiocinantis *est ea, quæ fit sine fundamento in re.* Ut si quis distingueret indumentum à vestimento. Quapropter inutilis omnino est, nec distinctionis nomen meretur.

Distinctio rationis ratiocinatæ est ea; *quæ fit ab intellectu cum fundamento in re.* Ita scilicet ut eadem res variis conceptibus inadæquatis concipiatur, ac veluti in varias partes dividatur. Ut cùm homo, qui à parte rei est ens, substantia, corpus, vivens, animal, rationalis, risibilis, & admirativus; modò concipitur sub ratione Entis, modò sub ratione substantiæ; modò sub ratione animalis,

animalis, vel rationalis, vel risibilis; ac si in illo ratio entis à ratione substantiæ, & ratio animalis à ratione risibilis actu distinguerentur; cùm tamen hæc omnia sint una, & eadem entitas.

Unde ad distinctionem rationis ratiocinatæ duo requiruntur, alterum ex parte objecti cogniti, alterum ex parte intellectus cognoscentis. Ex parte objecti cogniti requiritur, ut virtualem multiplicitatem perfectionum intra se habeat, & intellectui spectandam offerat; id est, ut à parte rei pluribus entibus æquivaleat: quamvis sit omnino unum, & idem. Hanc virtualitatem, seu æquivalentiam plurium vocant Thomistæ fundamentum distinctionis virtualis, seu rationis ratiocinatæ.

Ex parte verò intellectûs requiritur, ut diversos ejusdem rei conceptus efformet; sive una perfectio concipi possit sine aliâ, ac si actualiter à parte rei distinguerentur inter se, ut volunt Thomistæ; sive unum, & idem semper concipiatur in recto secundùm diversos respectus in obliquo, ut volunt Nominales; quod in posterùm examinabimus.

CAPUT XVI.

De Distinctione graduum Metaphysicorum proponitur opinio Thomistarum, & refellitur.

PEr gradum Metaphysicum intelligitur omne attributum, quod cuilibet rei essentialiter, aut necessariò convenit; & quia hujusmodi attributa sunt plura alia aliis simpliciora, è quibus ad magis composita fit progressus; gradus Metaphysici vocantur. Ut in homine est gradus entis, gradus substantiæ, corporis, viventis, animalis, hominis, atque horum singulorum cujuslibet genus, differentia, species prædicabilis, & proprium.

Dicunt itaque 1°. Thomistæ distinctionem virtualem esse tantùm per intellectum, fundamentum verò distinctionis virtualis esse á parte rei illam æquivalentiam, quâ unum, & idem pluribus æquivalet. In quo primùm errare videntur; nam distingui virtualiter nihil aliud est, quàm esse virtualiter plura, vel æquivalere pluribus; atqui certum est quod homo v. g. pluribus entibus æquivalet à parte rei, & nemine cogitante. Cùm non solùm sit substantia cum lapidibus, sed etiam vivens cum plantis, & sensitivus cum animalibus;

ergo certum est, & evidens distinctionem virtualem esse totam à parte rei, & nemine cogitante.

Dicunt 2°. Thomistæ distinctionem virtualem in eo consistere, quod intellectus concipiendo unam virtualitatem v. g. animalitatem hominis nullo modo concipiat alias ejusdem hominis virtualitates; ut rationalitatem, & risibilitatem, & sic non solùm admittunt præcisiones formales, quæ sunt tantùm varii conceptus ejusdem rei secundùm diversos respectus; verùm etiam præcisiones objectivas: ita ut una virtualitas objiciatur intellectui sine aliâ, idque absolutè ex parte principii.

Statum igitur quæstionis benè intellige, dicunt Thomistæ quod, cùm intellectus concipit hominem in ratione animalis, nullo modo concipit rationale; etiamsi rationale sit actualiter unum, & idem principium cum animali in homine, & hoc vocatur præcisio objectiva. Dicunt verò Nominales quod, quando intellectus concipit hominem in ratione animalis, simul concipit rationale, totum scilicet hominem; ac proinde nulla est præcisio, seu distinctio objectiva inter animal, & rationale; sed tantùm præcisio formalis, seu distinctio conceptuum, quibus eadem res tota concipitur sub diverso respectu, modò scilicet cum operatione animali, modò cum ope-

ratione rationali. Ita ut dum intellectus concipit hominem simul cum operatione animalis, concipiat hominem clarè ut animal, & confusè ut rationalem;& vicissim. & hæ vocantur præcisiones formales Nominalium, seu varii conceptus ejusdem rei sub diverso respectu. His suppositis.

Dico 1°. Quod non est hic quæstio utrum genus possit concipi sine suis differentiis, nam cùm genus v. g. animal esse possit, & non esse rationale, neque rugibile, aut hynnibile; ideò concipi potest animal sine hac, vel illa differentiâ; & sic certum est dari præcisiones objectivas quibus genus concipitur sine differentiis. Sed quæritur utrum animal in homine possit concipi sine rationali. Nam in homine idem omnino sunt actualiter animal, & rationale, sicut omnes alii gradus Metaphysici; quamvis inter se distinguantur virtualiter. Ut nummus aureus est unus tantùm actualiter nummus, licet virtualiter, & æquivalenter à parte rei sit plures solidi.

Dico 2°. Nullam dari præcisionem objectivam, seu distinctionem virtualem Thomistarum inter animal, & rationale, & cæteros gradus Metaphysicos, prout considerantur in homine, ita ut animal concipiatur sine rationali in homine.

Prb. 1°. Implicat contradictionem quod unum, & idem realiter, & actualiter co-

gnoſcatur, & non cognoſcatur; atqui animal, & rationale ſunt unum, & idem realiter, & actualiter; ergo implicat contradictionem quod animal cognoſcatur, & non cognoſcatur rationale in homine.

Confirm. Quia cognoſci, & non cognoſci non minùs opponuntur, quàm exiſtere, & non exiſtere; ſed implicat contradictionem quod animal exiſtat in homine ſine rationali; ergo implicat contradictionem quod animal cognoſcatur in homine, & rationale non cognoſcatur.

Reſpondent Thomiſtæ Diſt. Mai. Implicat contradictionem quod unum, & idem cognoſcatur, & non cognoſcatur ſecundum eamdem virtualitatem Conc. ſecundùm diverſas virtualitates Neg. Similiter Diſt. Min. atqui animal, & rationale ſunt unum, & idem realiter, & actualiter Conc. virtualiter Neg. & Neg. Conſeq.

Sed contra. Una virtualitas non eſt actualiter diſtincta à parte rei ab aliâ, ſed eſt actualiter unum, & idem cum illâ; ergo ſi una virtualitas concipiatur ſine alterâ: idem omnino concipitur, & non concipitur ſecundum idem; & ſic eadem erit contradictio.

Prob. Ant. Quæ diſtinguuntur tantum virtualiter, ſunt actualiter unum, & idem à parte rei; ſed virtualitas una diſtinguitur tantùm virtualiter ab alia; ergo ſunt

realiter, & actualiter una, & eadem entitas à parte rei.

Prob. 2. Intellectus, qui repræsentat ut actualiter distincta, quæ actualiter distincta non sunt, non est conformis objecto; sed intellectus, qui concipit unam virtualitatem sine altera, repræsentat ut actualiter distincta, quæ actualiter distincta non sunt; ergo non est conformis objecto.

Probatur Minor. Quia qui cognoscit unam virtualitatem sine alterâ repræsentat unam actualiter sine altera; ergo repræsentat unam ut actualiter distinctam ab altera; ac proinde fallitur.

Dices. Abstrahentium non est mendacium, & ideo quàmvis intellectus concipiat unam virtualitatem sine altera, non tamen affirmat unam non esse alteram; quapropter non fallitur.

Resp. Verum quidem est quod abstrahentium non est mendacium, quando abstrahitur id, quod verè abstrahi potest; sed si una virtualitas non possit abstrahi ab alia, & concipi, aut repræsentari sine illa; hinc sequitur necessariò quod intellectus repræsentans unam sine aliâ fallatur; aut potiùs quod hujusmodi abstractio sit prorsùs impossibilis. Potest siquidem intellectus verè concipere, & repræsentare animalitatem ut virtualiter distinctam à rationalitate, non autem ut actualiter distinctam,

cum actualiter distinctam esse à rationalitate impossibile sit.

CAPUT XVII.

Proponitur distinctio Scoti, & refellitur.

CUm videret Scotus distinctionem virtualem non sufficere, ut unus gradus Metaphysicus conciperetur sine alio eo modo, quo explicatur à Thomistis, sicut reverâ non sufficit, ut explicavimus, & demonstravimus; ipse aliam excogitavit distinctionem, quam formalem ex naturâ rei appellat, quâ scilicet gradus Metaphysici inter se distinguuntur actualiter à parte rei: non tanquam res à re, nec tanquam res à suo modo; sed tanquam formalitas à formalitate. Et ideò hanc distinctionem non vocat realem, sed formalem ex natura rei; quàmvis ea sit actualis & à parte rei, nemine cogitante: non solùm in rebus creatis, verùm etiam in Deo, scilicet inter essentiam, & personas divinas; atque inter attributa Dei, ut ipsemet Scotus asserit. sed hæc opinio refellitur sequentibus argumentis.

Prob. 1°. Quia nulla potest concipi distinctio actualis à parte rei, quæ non sit inter rem, & rem, vel inter rem, & modum rei; ergo distinctio formalis vel est

inter duas res, vel inter rem, & modum rei, quæ inter se realiter distinguuntur, vel nulla est.

Prob. 2°. Implicat contradictionem quod eadem res actualiter, & absolutè indistincta à parte rei sit actualiter, & absolutè distincta à parte rei; sed una formalitas est actualiter, & absolutè à parte rei vna, & eadem res indistincta cum alia formalitate; non enim sunt duæ res, sed una dumtaxat; ergo implicat contradictionem quod una formalitas sit actualiter, & absolutè à parte rei distincta ab alia. Ac proinde nulla datur distinctio actualis, & formalis ex naturâ rei inter gradus Metaphysicos.

Dices. Una formalitas est quidem una, & eadem res actualiter indistincta cum alia formalitate, sed non est actualiter una, & eadem formalitas.

Sed contra. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; sed duæ formalitates sunt idem realiter, & actualiter cum uno tertio, cùm sint àctualiter eadem res, ergo sunt idem realiter, & actualiter inter se.

Dices. Sunt idem realiter, & actualiter in ratione entis, seu rei, non autem in ratione formalitatis.

Resp. Fateor ultrò me ista concipere nequaquam posse, sed nec ullus erit, ut arbitror, qui possit ea concipere. Quidquid enim verè concipi potest est ens; ac

proinde quidquid verè concipitur actualiter distinctum ab alio est ens actualiter distinctum ab illo; atqui per te una formalitas concipitur actualiter distincta ab alia: ergo sunt duo entia inter se realiter distincta.

Probat. 3°. Animalitas in eo præcisè, quo distinguitur actualiter à rationalitate vel nihil, vel aliquid est; prius dici non potest; ergo posterius dicendum est: atqui animalitas non distinguitur actualiter à rationalitate per aliquid, quod sit idem cum rationalitate, quia alias esset distincta ab illa simul, & indistincta secundùm idem, quod plane repugnat: ergo ab illa distinguitur per aliquid, quod non est idem actualiter cum illa; sicque aliquid est in animalitate, quod non est actualiter in rationalitate, & vice versâ aliquid est in rationalitate, quod non est actualiter in animalitate. Unde cùm aliquid, & aliquid idem omnino sint, quod ens, & ens, res, & res; inde planè sequitur animalitatem, & rationalitatem esse duo entia realiter distincta, & non duas entis formalitates. Unde colligitur distinctionem verè, & propriè realem inter illas intercedere, quod est absurdum.

His adde quod si una formalitas ab alia distinguitur actualiter à parte rei datur progressus in infinitum. Nam proprietates

entis, scilicet, unitas, veritas, & bonitas sunt tres formalitates actualiter distinctæ; quælibet est una formalitas, est vera, & bona formalitas; sed unitas, veritas, & bonitas cujuslibet formalitatis distinguuntur etiam formaliter ab ipsa formalitate, & inter se: ergo datur formalitas formalitatis in infinitùm. Manifestum est igitur distinctionem formalem ex naturâ rei, nisi aliter explicetur, quàm explicatur à Scotistis, implicare contradictionem, & ne quidem concipi posse.

CAPUT XVIII.

Proponitur distinctio Nominalium, & refellitur.

EX his, quæ dicta sunt contra præcisionem objectivam Thomistarum, tum contra distinctionem formalem ex naturâ rei manifestum est, inquiunt Nominales, non dari præcisiones objectivas inter gradus Metaphysicos; sed tantùm præcisiones formales, quatenus scilicet intellectus totum objectum partim confusè, & partim distinctè percipit sub diverso respectu per ordinem ad diversa connotata, seu respectivè ad diversas operationes.

Nam 1°. Certum est, inquiunt, rerum essentias esse prorsus indistinctas. 2°. Certum est quod rerum essentiæ non possunt

cognosci nisi per effectus. Sic hominem cogosco esse animal, quia sentit; esse rationalem, quia ratiocinatur. Quàpropter qui plures hujusmodi effectus noverit, hominis essentiam clariùs percipiet.

Hinc sequitur quod, qui cognoscit hominem per ordinem ad operationes animales, producit actum distinctum ab eo, quo cognoscit eundem hominem respectivè ad operationes rationales. Quamvis enim sit idem semper homo, atque idem objectum principale utriusque actûs in recto; sunt tamen diversa objecta minùs principalia in obliquo, scilicet, sensatio, & ratiocinatio, quæ simul cum homine sunt unum objectum totale, & adæquatum cujusque actus.

Unde manifestum est, inquiunt, cur actus illi sint inter se distincti, quàmvis idem homo semper, vel idem principium indistinctum concipiatur in recto; quia videlicet per unum actum concipitur simul cum sensatione, per alium verò concipitur simul cum ratiocinatione. Hæc est opinio Nominalium, contra quos.

Objic. Thomistæ. Non minùs repugnat idem cognosci clarè, & non cognosci clarè, quàm cognosci, & non cognosci, existere, & non existere, produci, & non produci; ergo si hoc argumento solidè refelluntur præcisiones objectivæ Thomistarum; eo-

dem everti necesse est præcisiones formales Nominalium.

Resp. Nominales. Dist. Ant. non minùs repugnat idem cognosci clarè, & non cognosci clarè, quàm cognosci, & non cognosci, si cognoscatur clarè, & non cognoscatur clarè sub eodem respectu, Conc. sub diverso respectu, & per ordinem ad diversa connotata, vel distinctas operationes, Neg. & Neg. Conseq. Tota enim ratio, cur hoc argumento solidè refellantur præcisiones objectivæ, est quia per præcisionem objectivam idem cognoscitur, & non cognoscitur secundùm idem. Cùm una virtualitas cognoscatur actualiter sine alia, quæ est idem realiter, & actualiter cum illa, ut fatentur Thomistæ: sed in præcisione formali sunt diversi respectus, & distinctæ operationes, ut patet.

Sed hæc opinio Nominalium in idem planè recidit, atque in eandem prorsus difficultatem, ac opinio Thomistarum, quod sic probo.

In præcisione formali Nominalium non sunt diversi respectus, neque distincta connotata, aut distinctæ operationes in obliquo; ergo nulla solutio.

Probatur Ant. Operationes animales in homine non sunt distinctæ ab operationibus rationalibus. Nam cùm idem homo sit simul, atque indistinctè animal rationale,

atque unum, & idem principium indistinctum omnium operationum hominis; hinc sequitur necessariò, & evidenter quod quælibet hominis operatio sit essentialiter, atque indistinctè animalis simul, & rationalis: ita ut somnus etiam in homine dicat non solùm quietem potentiæ sensitivæ; verùm etiam quietem potentiæ rationalis simul. Ac proinde manifestum est cùm animal non possit concipi in homine sine rationali, neque posse concipi in homine operationem animalem sine operatione rationali, atque ideò neque esse diversos respectus, neque diversa connotata in obliquo: sed idem prorsus concipi clarè, & non concipi clarè, secundùm idem tam juxta Nominalium opinionem, quàm Thomistarum.

CAPUT XIX.

Proponitur Distinctio quorundam recentiorum, & refellitur.

QUidam Recentiores dicunt inter gradus Metaphysicos nullam prorsus esse distinctionem ex parte objecti tam in recto, quàm in obliquo; sed totam distinctionem se tenere ex parte intellectus nostri, & ex variâ illius tendentiâ in idem objectum, ita ut simul cognoscantur v. g.

animalitas, & rationalitas in homine, cùm una, & eadem entitas esse supponantur; sed conceptu confuso, qui talis est ex naturâ suâ; ut per eum res illa, quæ cognosci dicitur, scilicet, homo discerni quidem possit ab eo omni, quod non est animal; non tamen ab eo omni, quod est homo. Ita ut nominum diversitas ex diversâ cognoscendi ratione oriatur.

Hæc tamen opinio in idem omninò recidit, ac easdem patitur difficultates. Nam si conceptus naturâ talis sit, ut possit discernere hominem ab eo omni, quod non est animal, non tamen ab eo omni, quod est homo, erit quoque objecti natura talis, ut possit discerni ab eo omni, quod non est animal, non tamen ab eo omni, quod est homo: nam correlativa se mutuò ponunt, ut patet: ergo idem objectum poterit discerni ab eo omni, quod non est animal per aliquid sui, in quo differt, & per quod discernitur ab omni non animali. Quod si nihil supponatur in objecto, per quod differat ab omni non animali; conceptus non erit conformis objecto, ut manifestum est.

Omnes itaque præcedentes opiniones sunt falsæ.

Prima scilicet Thomistarum est falsa, quia distinctionem virtualem esse totam à parte rei negat; tum quod unũ gradum Me-

taphyſicum poſſe concipi ſine alio affirmet; cùm tamen ſint actualiter una, & eadem prorſus entitas.

ſecunda, Scoti nimirum opinio eſt falſa, quia diſtinctionem formalem, & actualem à parte rei, & nemine cogitante, inter gradus Metaphyſicos dari aſſerit, cùm ſint actualiter à parte rei, & nemine cogitante eadem entitas abſolutè.

Tertia Nominalium eſt falſa, quia unum gradum Metaphyſicum poſſe concipi clarè & alium confusè ſimul reſpectivè ad operationes diſtinctas ſupponit; cùm operationes non ſint magis inter ſe diſtinctæ, quàm gradus ipſi.

Quarta denique Recentiorum eſt etiam falſa, quia totam diſtinctionem graduum Metaphyſicorum oriri ex variâ tantùm intellectûs tendentiâ in idem objectum affirmat, cùm tamen intellectus non poſſit diſtinguere ſine errore, quæ à parte rei diſtincta non ſunt. Quàpropter noſtram ſententiam in medium proferre in animo eſt ſequenti capite.

CAPUT XX.

De Distinctione graduum Metaphysicorum nostra sententia.

DIco. 1°. Inter gradus Metaphysicos datur à parte rei distinctio virtualis, quâ una,& eadem entitas actualiter indistincta pluribus entitatibus æquivalet, pluribusque conceptibus distinctis, & inadæquatis conceptibilis est sub respectibus virtualiter diversis; seu per ordinem ad operationes virtualiter diversas.

Prima pars conclusionis, quod scilicet eadem entitas actualiter indistincta pluribus æquivaleat, & virtualiter distinguatur à parte rei, est manifesta ex jam dictis. Nam homo à parte rei est substantia cum lapidibus, vivens cum plantis, sensitivus cum animalibus, & cætera. Ac proinde substantia, vivens, animal, & alia (licet ea sint actualiter indistincta in homine) inter se virtualiter distinguuntur à parte rei & habent operationes inter se virtualiter distinctas.

Secunda pars conclusionis explicatur, & probatur. Eadem entitas actualiter indistincta, & virtualiter distincta à parte rei potest concipi clarè vel confusè; si enim absolutè consideretur, v. g. si homo absolutè concipiatur, totum, quod est ho-

mo, confusè cognoscitur, nimirum ens, substantia, vivens, animal, & alia: neque enim possunt hæc omnia simul clarè concipi; necesse est igitur ut homo clarè concipiatur, quod non absolutè consideretur, sed sub diversis respectibus, & per plures conceptus inadæquatos.

Aliàs certum est rerum essentias, vel gradus Metaphysicos clarè cognosci non posse, nisi per ordinem ad effectus. Comparando enim hominem ad operationes animales cognosco clarè quod homo sit animal; postea comparando eundem hominem ad operationes rationales, cognosco clarè quod homo sit rationalis. Quando autem cognosco hominem clarè ut animal, nondum cognosco clarè quod sit rationalis, sed tantùm confusè; ut patet. Cùm enim dico mentaliter homo est animal, manifestum est quod concipio hominem, & totum id quod est homo, sed confusè, nisi inquantùm animal est, quod clarè concipio ex operatione animali. Et quamvis hujusmodi operationes nimirum sensatio, & ratiocinatio non sint magis inter se actualiter à parte rei distinctæ, quàm animal, & rationale in homine; virtualiter tamen distinguuntur à parte rei in ordine ad nostrum imperfectum concipiendi modum. Quatenus scilicet, cùm omnis nostra cognitio ducat initium à sensibus, aliæ sunt operationes, quæ magis &

clariùs apparent, & objiciuntur sensibus nostris animales, quàm rationales, ut dormitio, motus, manducatio, & aliæ hujusmodi aliæ quæ magis apparent sensibus nostris rationales, quàm animales, ut oratio, ratiocinatio, discursus. Ideò sensus, ac proinde intellectus aliquando clarè percipit operationem, ut animalem, & confusè ut rationalem; atque inde hominem clarè, ut animal, & confusè ut rationalem; aliquando percipit operationem clarè, ut rationalem, & confusè ut animalem; atque inde hominem clarè, ut rationalem, & confusè ut animal.

Sive igitur concipiatur homo clarè, ut animal; ut cùm mente dicitur, homo est principium sensationis; sive clarè concipiatur, ut rationalis, ut cùm mente dicitur, homo est principium ratiocinationis, totus homo semper concipitur sed inadæquatè clarè secundùm respectus virtualiter tantùm distinctos: atque homo sic inadæquatè clarè conceptus ut animal dicitur unus gradus Metaphysicus animalis; & inadæquatè conceptus ut rationalis, dicitur alius gradus Metaphysicus rationalis, & sic de cæteris.

Sicut autem à parte rei nulla est distinctio actualis inter animal, & rationale in homine, ita nec in intellectu concipiente. Neque enim intellectus concipit

animal sine rationali in homine, sed utrumque simul inadæquatè clarè concipit. Unde nulla est distinctio actualis in intellectu, sed tantùm unius ejusdemque rei plures conceptus inadæquati & cognitiones imperfectæ, & sic manifestum est quomodò una, & eadem entitas actualiter indistincta pluribus æquivaleat à parte rei in ordine ad nostrum imperfectum concipiendi modum, pluribusque conceptibus inadæquatis conceptibilis sit, in quo tota consistit distinctio virtualis.

Objic. Non minus repugnat idem cognosci clarè, & non cognosci clarè, quàm cognosci, & non cognosci, atqui idem non potest cognosci, & non cognosci: ergo neque cognosci clarè potest, & non cognosci clarè.

Resp. Neg. Mai. Nam cognosci, & non cognosci sunt verè contradictoria, & ideò eadem entitas non potest cognosci, & non cognosci. Cognosci autem clarè, & cognosci non clarè, id est, partim clarè, & partim confusè cognosci, vel clarè cognosci, sed imperfectè, & inadæquatè, non sunt contradictoria, ut patet. Omnis enim cognitio imperfecta ejusdem objecti est partim clara, & partim confusa, vel inadæquatè clara. Ea est autem intellectùs nostri natura, ut idem objectum totum simul perfectè concipere, & clarè

repreſentare non poſſit per unam, & eamdem ideam; atque ideo multas indiget efformare ideas inadæquatas & imperfectas ejuſdem objecti, quæ ſcilicet totum quidem objectum repræſentant, ſed inadæquatè, & non totaliter. Et quia correlativa ſe mutuò ponunt, ea eſt etiam objecti natura, ut partim confusè objiciatur intellectui, id eſt, inadequatè clarè, ut ſuperiùs explicavimus.

Dico. 2°. Diſtinctio virtualis ſic explicata eſt vera, ſeu formalis, & actualis diſtinctio Logica, atque ita gradus Metaphyſici diſtinguuntur à parte rei formaliter logicè, & reſpectivè ad ſcientiam tantùm.

Explicatur, & probatur concluſio. Omnis cognitio Logica eſt cognitio clara, & ad ſcientiam idonea; ac proinde omnis cognitio confuſa non eſt cognitio Logica: & quod confusè tantùm cognoſcitur, quàmvis abſolutè cognoſcatur reſpectivè tamen ad ſcientiam, ſeu formaliter logicè non cognoſcitur. Unde ſic argumentor.

Quidquid concipi poteſt formaliter logicè ſine alio diſtinguitur formaliter logicè ab illo; ſed omnis gradus Metaphyſicus á parte rei concipi poteſt formaliter logicé ſine aliis; ergo omnis gradus Metaphyſicus diſtinguitur à parte rei formaliter logicè ab aliis.

Probatur Min. Poteſt concipi clarè quod homo ſit animal & non concipi clarè quod ſit rationalis, & ſic de aliis gradibus Metaphyſicis, ut patet ex jam dictis; ſed quidquid concipitur clarè concipitur logicè, & quidquid concipitur tantùm confusè non concipitur formaliter logicè: Ergo unus gradus Metaphyſicus concipi poteſt formaliter logicè ſine aliis; & ſic de cæteris, nam eadem eſt ratio de omnibus. Ac proinde inter gradus Metaphyſicos datur à parte rei diſtinctio formalis logica, atque eadem res dicitur habere plures rationes ſcibiles, ſeu plures formalitates, id eſt, plures formas logicas, non phyſicas, & abſolutas; & hæc diſtinctio non eſt alia quàm diſtinctio virtualis jam explicata ut refertur ad ſcientiam. Quâ ſcilicet unum, & idem abſolutè indiſtinctum diſtinguitur à parte rei formaliter logicè ſeu relativè, quatenus pluribus ideis diſtinctis & inadequatis repræſentabile eſt.

CAPUT XXI.

Solvuntur objectiones.

OBjic. 1°. Implicat contradictionem quod eadem Entitas actualiter indiſtincta actualiter diſtinguatur; ſed gradus

Metaphysici sunt una, & eadem entitas actualiter indistincta à parte rei; ergo implicat quod gradus Metaphysici actualiter distinguantur à parte rei.

Resp. Dist. Mai. Implicat contradictionem quod eadem Entitas actualiter indistincta Physicè, & absolutè, actualiter distinguatur Physicè, & absolutè. Conc. formaliter Logicè, seu respectivè ad scientiam Nego; similiter dist. Min. sed gradus Metaphysici sunt una, & eadem entitas actualiter indistincta Physicè, & absolutè Conc. formaliter Logicè, & respectivè ad scientiam Nego, & Neg. Conseq. sub eadem distinctione.

Objic. 2. Quæ habent diversas definitiones Essentiales, ea distinguuntur à parte rei actualiter Physicè, & absolutè, non autem formaliter Logicè & respectivè tantùm ad scientiam; atqui gradus Metaphysici habent diversas definitiones essentiales, animal v. g. definitur principium sensationis, rationale autem principium ratiocinationis, quæ sunt definitiones essentialiter diversæ; ergo gradus Metaphysici distinguuntur à parte rei Physicè, & absolutè, non autem formaliter Logicè, & respectivè tantùm ad scientiam.

Resp. Dist. Mai. Quæ habent diversas definitiones essentiales adæquatas, ea distinguuntur à parte rei Physicè, & absolutè

Conc. quæ habent diversas definitiones essentiales inadæquatas Neg. Similiter Dist. Min. atqui gradus Metaphysici habent diversas definitiones essentiales inadæquatas Conc. adæquatas Neg. Nam animal, quod est in homine non est tantùm principium sensationis, cùm sit essentialiter rationale; sed etiam principium ratiocinationis. Quapropter negatur Conseq. Nam eadem Entitas inadæquatè concepta potest inadæquatè definiri. Homo v. g. clarè conceptus ut animal, potest definiri principium sensationis; & si clarè concipiatur ut rationalis, definiri potest principium ratiocinationis; sed definitione inadæquatâ, ut patet.

Objic. 3º. Ea, de quibus contradictoria affirmari possunt, distinguuntur à parte rei physicè, & absolutè, non autem formaliter Logicè, & respectivè tantùm ad scientiam; atqui de gradibus Metaphysicis contradictoria affirmari possunt; dicitur enim de homine quod sit similis leoni per animalitatem, & non similis per rationalitatem: ergo gradus Metaphysici distinguuntur à parte rei physicè, & absolutè, non autem formaliter Logicè, & respectivè tantùm ad scientiam.

Resp. Concessâ mai. Neg. Min. nulla est enim contradictio à parte rei inter animalitatem, & rationalitatem. Nam homo

tam est dissimilis leoni per animalitatem, quam per rationalitatem, cùm animalitas hominis sit essentialiter rationalis, & rationalitas animalis. Verùm quidem est quod, cùm homo clarè concipitur ut animal, & non concipitur clarè ut rationalis, tunc in ordine ad illum conceptum, vel eo modo, quo tunc concipitur, aut concipi potest, verè dici potest similis Leoni; quia non concipitur clarè ut differt à leone: si verò concipiatur clarè ut rationalis, tunc dicitur non similis. Sed hic nulla est vera contradictio, cùm idem affirmetur, & negetur de eodem secundùm diversos conceptus inadæquatos, quibus concipi potest.

Instabis. A parte rei homo ut animal non est rationalis; ergo animal in homine distinguitur à parte rei absolutè à rationali.

Resp. Conc. Ant. Neg. Conseq. Cùm enim dicitur homo ut animal non est rationalis; hoc intelligitur tantùm formaliter Logicè, & respectivè ad scientiam; non autem absolutè. Nam absolutè homo à parte rei est animal rationale, ac proinde animal in homine distinguitur à parte rei à rationali formaliter Logicè tantum.

Objic. 4°. Quæ diversas habent operationes illa distinguntur realiter, & absolutè; sed gradus Metaphysici diversas habent

habent operationes; sensatio enim, & raciocinatio sunt operationes à parte rei diversæ. Ergo gradus Metaphysici distinguntur realiter, & absolutè.

Resp. Conc. Mai. Neg. Min. Ratiocinatio enim, & sensatio in homine sunt essentialiter, & absolutè una & eadem operatio, ut jam dictum est.

Objic. 5°. Ea realiter, & absolutè distinguuntur, quorum diversa est existentia, & quæ per diversas actiones producuntur; sed in homine v. g. animalitas generatur, & rationalitas creatur: est quippè eadem cùm Anima rationali, quæ separata manet rationalis; licet gradus animalis perierit, Ergo &c.

Resp. concessâ Mai. Dist Min. Rationalitas creatur, ut est principium ratiocinandi independenter à sensibus Conc. Sic enim nihil aliud est, quàm Anima rationalis sola, creatur ut est principium ratiocinandi dependenter à sensibus Neg. Nam ea producitur per actionem, quâ Anima rationalis cum corpore conjungitur; atque ex duobus una hominis essentia constituitur; neque in Anima separata ramanet principium ratiocinandi dependenter à sensibus; & Neg. Conseq.

Instabis. Ea realiter, & absolutè distinguntur, quæ idem sunt cum rebus omninò diversis; sed animalitas & rationali-

tas idem sunt cum corpore, & Animâ, quæ sunt omnino diversa; Ergo animalitas, & rationalitas realiter, & absolutè distinguntur.

Resp. Concessâ Mai. Dist. Min. Animalitas, & rationalitas sunt idem cum corpore, & Animâ separatim sumptis Neg. Cum corpore, & Animâ simul sumptis & quatenùs unam essentiam hominis indivisam componunt, Conc. & Neg. Conseq.

Urgebis, si rationalitas ex totâ hominis entitate desumitur, erit gradus physicè compositus, sicut & cæteri omnes.

Resp. Concedo totum. Cùm enim essentia hominis sit physicè composita, omnes ejus proprietates, & operationes sunt essentialiter compositæ. Ita ut risibilitas v. g. non solùm dicat essentialiter potentiam ridendi ex parte corporis; verùm etiam potentiam admirandi ex parte Animæ; atque risus ipse corporis sit semper, atque essentialiter cùm admiratione, aut alio simili actu conjunctus, sicut ratiocinatio cum sensatione.

Objic. 6°. Pars una realiter, & absolutè distinguitur ab aliâ sed animalitas, & rationalitas sunt partes hominis; Ergo realiter, & absolutè distinguntur.

Resp. Dist. Mai. Partes physicæ, quæ veræ sunt partes, ut corpus, & Anima

realiter, & absolutè distinguntur Conc. partes Logicæ, vel Metaphysicæ, quæ sunt tantùm diversi conceptus inadæquati ejusdem rei, seu eadem res diversimodè concepta, aut diversimodè conceptibilis neg. similiter Dist. minor. sed animalitas, & rationalitas sunt partes Logicæ vel Metaphysicæ Conc. Partes Physicæ Neg. & Neg. Conseq. Ad hoc autem quod dicitur, animalitas, & rationalitas sunt partes hominis eæque reales, Respondeo esse quidem reales, sed esse unam tantùm essentiam, vel entitatem realem, quæ diversis conceptibus inadæquatis conceptibilis est tota simul.

Objic. Denique actus, & potentia realiter, & absolutè distinguntur; atqui genus, habet rationem potentiæ, & differentia rationem actûs; Ergo realiter, & absolutè distinguntur.

Resp. Dist. Mai. actus & potentia realiter, & absolutè distinguuntur, actus physicus, & potentia physica Conc. actus Metaphysicus, & potentia Metaphysica Neg. similiter disting. Min. & Neg. Conseq.

Manifestum est itaque inter gradus Metaphysicos non esse distinctionem realem, & absolutam; sed formalem Logicam dumtaxat; & respectivè ad scientiam tantum, ut explicavimus. Cæterùm hæc sententia inter extremas aliorum mediâ viâ incedit,

earumque difficultates, atque objectiones clarè resolvit; quas alii solvere minimè valent. Ad ipsam quoque cæteræ reduci facilè possunt, præsertim opinio Scoti, qui nihil aliud concipere potuit per suam distinctionem formalem ex naturâ rei.

CAPUT XXII.

De Nomine Entis rationis.

Celebris est quæstio de Ente rationis apud Philosophos non minùs Chimerica, quàm ipsius objectum; cum alii non solùm dari Ens rationis chimæricum, neque tantùm ab homine, verum etiam ab Angelo, atque ab ipso Deo fieri posse asseverent: alii etiam cathegorias, & prædicamenta Entis rationis chimærici componere non dubitaverint; quod toti Philosophiæ quantas offundat tenebras, ex sequentibus manifestum fiet. Quandoquidem, si hæc vera supponantur, neque intellectûs natura, neque ipsius Entis proprietates clarè unquam poterunt intelligi. Hanc igitur quæstionem ritè tractare in animo est. Sed priùs quid nomine Entis rationis intelligatur declarare videtur necessarium.

Nomine Entis rationis intelligitur non ens conceptum per modum Entis, id est, conceptum ut ens. Per non ens intelligitur

non ens simpliciter, quod nimirum implicat in suo conceptu contradictionem; ita ut impossibile sit absolutè, neque etiam divinitùs existere possit. Ut si duo Entia completa, quorum unum dicit negationem alterius, v.g. homo, & Leo, concipiantur ut unum ens possibile, vel existens, sive ut una Essentia, quæ simul sit homo, & Leo; aut si concipiantur privatio luminis, & nigredo positiva ut una, & eadem Essentia: tunc dicitur chimæra, sive Ens rationis chimæricum; quod qui dari asserunt sic definiunt (*Ens rationis est quod habet tantùm esse objectivum in intellectu*) id est, quod non potest existere à parte rei, & concipitur ut aliquid Existens vel actu, vel potentiâ. Quæ definitio cum præcedenti eadem est.

Necessarium est igitur, ut patet ex dictis, ut fiat Ens rationis, quod concipiatur non Ens per modum Entis. Ut si quis dicat, vel concipiat, non homo est homo, vel homo-leo est unum Ens, vel denique privatio luminis est nigredo positiva. Unde manifestum est quod si quis, cùm vellet concipere non hominem, conciperet hominem, non faceret Ens rationis; neque si, cùm vellet concipere hominem, conciperet Leonem non concipiendo simul hominem ut unum; neque tandem si, cùm vellet concipere privationem luminis, con-

ciperet tantùm nigredinem positivam; quia scilicet non conciperet non ens per modum entis. His itaque suppositis priùs de Ente rationis chimærico, postea de ente rationis fundato in re tractabimus.

CAPUT XXIII.

De Ente rationis Chimærico.

Dico 1°. Nullus sensus sive externus, sive internus potest efficere Ens rationis chimæricum.

Prob. Concl. quia, quamvis possint sensus objecta percipere aliter, quàm sint, non tamen aliter quàm absolutè esse possint. Nam si v. g. visus Baculum in aquâ fractum percipit, non repugnat absolutè quin reverâ fractus sit, vel frangatur; & si imaginatio montem aureum effingit, nihil prohibet quin Deus possit producere montem aureum, seu ingentem auri molem instar montis: atqui non fit Ens rationis cum percipitur aliquid aliter, quàm sit, sed quando percipitur aliter, quàm absolutè esse possit; tunc enim percipitur non ens per modum entis; ergo nullus sensus potest facere ens rationis Chimæricum.

Objic. Chimæra, vel animal triceps potest effingi ab imaginatione, quamvis non sit, nec esse possit à parte rei; ergo,

imaginatio potest facere ens rationis chimæricum.

Resp. Neg. Ant. Nam Chimæra, vel animal triceps effingi potest ab imaginatione quoad figuram tantùm externam quo modo esse potest; nullum enim effingi potest animal cujuscumque figuræ, quod à Deo produci non possit; quarè Chimæra eo modo non est ens rationis; sed quatenus fingitur animal essentialiter constans ex diversis essentiis completis; quo modo esse non potest, neque fingi ab imaginatione, quæ nullius rei essentiam percipere potest; sed tantùm accidentia.

Dico. 2°. Voluntas non potest ens rationis effingere.

Prob Concl. Quia ens rationis fit eo ipso, quo effingitur quod non est ens per modum entis; sed talis fictio non potest cadere in voluntatem, quæ non est potentia cognoscitiva; quia rem aliter effingere, quàm sit, non spectat nisi ad potentiam cognoscitivam: cùm ea sola possit repræsentare rem aliter, quàm sit; eique tribuere aliquod esse objectivum, quod à parte rei non habet.

Confirm. Quia voluntas est potentia cæca, quæ objecta, in quæ fertur nec fingit, nec repræsentat; sed eo modo illa amplectitur, quo ipsi ab intellectu, vel imaginatione repræsentantur; ergo volun-

tas non potest repræsentare res aliter, quàm sint.

Dico. 3°. Nec ab intellectu fieri potest ens rationis chimæricum. Et ideò ens rationis chimæricum nullo modo fieri potest cùm nulla sit alia potentia, per quam fieri possit.

Prob. Concl. Quod manifestam involvit contradictionem est absolutè impossibile, sed quod intellectus concipiat non ens per modum entis manifestam involvit contradictionem; ergo quod intellectus concipiat non ens per modum entis, seu quod faciat ens rationis chimæricum est absolutè impossibile.

Dices. Non potest concipi non ens, ut ens per actum verum; sed potest concipi per actum falsum.

Sed contra. Hæc responsio est manifesta petitio principii. Si enim non possit concipi non ens, ut ens; non potest hujusmodi actus falsus fieri.

Prob. Itaque Min. Manifestam, scilicet, involvere contradictionem quod intellectus concipiat non ens per modum entis. Nam concipere non ens per modum entis, est concipere non ens, ut ens simul, seu concipere, & repræsentare idem simul esse, & non esse; sed concipere, & repræsentare idem simul ut ens, & non ens, vel idem simul esse, & non esse sunt manifestè

contradictoria; ergo quod intellectus conci piat non ens per modum entis manifestam involvit contradictionem.

Confirm. Qui concipit non ens, vel illud concipit ut aliquid impossibile, vel non; si concipit ut impossibile, non potest simul illud concipere ut possibile, vel ut ens. Hoc enim manifestam involvit contradictionem quod aliquid simul concipiatur ut possibile, & impossibile; & quod eadem idea idem simul repræsentet ut possibile, & impossibile: vel quod repræsentet unam essentiam, quæ sit homo simul, & leo. Nam unum dicit essentialiter negationem alterius, neque minùs repugnat ideæ hominis idea leonis, quàm homo ipse leoni. Si vero non concipit non ens ut aliquid impossibile, manifestum est, quod non concipit non ens; cùm non ens nihil aliud sit quàm quod impossibile est. Ac proinde manifestum est quod nullo prorsus modo possit concipi non ens ut ens.

Confirm. Iterum qui verè concipit Privationem luminis, non potest illam repræsentare ut nigredinem positivam, ut patet. Similiter qui verè concipit hominem, id est qui essentiam hominis concipit, non potest illam repræsentare simul ut essentiam leonis; hoc enim implicat contradictionem; nam essentia hominis non est essentia leonis. Si verò cùm volue-

rit concipere essentiam hominis, concipiat tantùm essentiam leonis; manifestum est quod concipiet quidem essentiam leonis: nullo autem modo concipiet essentiam hominis; ergo non concipiet unam essentiam, quæ sit homo simul, & leo.

Hinc manifesta fiunt vulgata illa Philosophorum axiomata (*quidquid concipi potest, est ens vel actu; vel potentiâ*) *quidquid non potest concipi non est ens*) id est, neque etiam divinitùs fieri potest, & illud quod legitur in Evangelio (*non erit impossibile apud Deum omne verbum*) id est quidquid concipi potest. Quæ omnia falsa essent si fieri posset ens rationis Chimæricum, ut patet. Quàpropter divus Thomas, 1ª. Part. Quæst. 25ª. Art. 3°. Sic loquitur. *Quod contradictionem importat, verbum esse non potest*; quia nullus intellectus potest illud concipere. Hinc quoque manifestum est quanti momenti sit ens rationis Chimæricum à philosophiâ penitùs excludere.

CAPUT XXIV.

Solvuntur Objectiones

OBjic. 1°. Contra præcedentem conclusionem. Potest intellectus, sicut & oculus, repræsentare simul hominem,

& canem; sed homo-canis est ens rationis chimæricum: ergo intellectus potest facere ens rationis.

Resp. Dist. Mai. potest intellectus repræsentare simul hominem, & Canem duplici ideâ ut duo entia distincta, Conc. Potest repræsentare hominem canem unâ tantùm & eadem ideâ ut unum ens, Neg. & concessâ minore Neg. Conseq. Nam ens rationis non est homo, & canis; sed homo canis, sive una essentia, quæ simul est homo, & canis.

Inst. Qui dicit homo-leo est possibilis, vel nox est nigredo positiva, vel Deus non est; concipit non ens per modum entis, scilicet, hominem-leonem ut unum ens, & unâ tantùm ideâ; ergo facit ens rationis Chimæricum.

Resp. Dist. Ant. Qui dicit homo-leo est possibilis, vel nox est nigredo positiva, vel Deus non est, concipit non ens per modum entis, si illud dicat mente Conc. si tantùm ore dicat, aut imaginatione Neg. & Neg. Conseq. Nam, ut jam dictum est, concipi non potest una essentia, quæ sit homo simul & Leo, unum enim repugnat alteri essentialiter. Quàpropter qui hujusmodi propositiones efficiunt; aut ore tenus id dicunt; nihilque aliud concipiunt præter voces materialiter sumptas; aut aliquod animal effingunt in imaginatione,

quod aliquomodo figuram hominis, & Leonis habeat; nec hujusmodi imaginationem, aut figuram à rei essentiâ distinguunt.

Idem dicendum de illo, qui noctem esse nigredinem positivam, aut Deum non esse affirmaverit. Nam si essentiam noctis, id est, privationem luminis solaris conciperet, illam esse nigredinem positivam non conciperet, & si essentiam Dei conciperet, id est, ens essentialiter existens, simul Deum non esse non conciperet. Atque ideo hujusmodi homines non ipsam noctem, nec ipsum Deum; sed solùm noctis, aut Dei nomen, non essentiam concipiunt, aut aliquam figuram in imaginatione effingunt. Propterea dicitur in Psalmis (*dixit impius in corde suo non est Deus*) dixit, inquam, in corde non in intellectu, quia dum imaginatio aliquam figuram, vel imaginem Dei ut hominis, vel judicis terribilis, & crudelis effingit; cor, seu voluntas desiderat non esse. Hæc autem, quæ diximus de imaginatione, & propositionibus hujusmodi, unusquisque poterit experiri, dummodò vel modicam attentionem afferat.

Objic. 2°. Qui dicit homo-leo est impossibilis, non fallitur, sed verum dicit; omne autem verum potest concipi; ergo potest concipi homo leo, ac proinde non ens ut ens; necesse est enim ut iste efformet

unam ideam, quæ repræsentet hominem-leonem.

Resp. Concesso Ant. Neg. Conseq. Nam qui dicit, homo leo est impossibilis, non concipit hominem, & leonem componendo, vel conjungendo ideam hominis cum ideâ Leonis; sed potiùs dividendo, concipiendo, videlicet, ideam vel essentiam hominis repugnare ideæ, vel essentiæ Leonis; licet voces id aliter exprimere videantur.

CAPUT XXV.

De Ente rationis fundato in re.

ENs rationis, de quo hactenus loquuti sumus, dicitur ens rationis Chimæricum, & sine fundamento in re. Thomistæ autem aliud etiam admittunt ens rationis, quod habet, inquiunt, fundamentum in re, de quo pauca dicere non erit incongruum. Illud verò vocant ens rationis secundæ intentionis, quod scilicet, rei jam cognitæ affingitur ab intellectu ut cùm per primam intentionem dico (*Petrus est homo*) deinde per secundam intentionem reflectendo nimirum super illam propositionem dico quod Petrus est subjectum, & homo prædicatum: quod enim Petrus sit subjectum, hoc non habet à parte rei, sed ab intellectu affingitur, & tribuitur Petro. Hujus-

modi autem Ens rationis frequenter usurpatur in Logica, ut subjectum, prædicatum, antecedens, consequens, propositio, definitio, & cætera. Ita ut Thomistæ asserant objectum Logicæ nihil aliud esse, quàm ens rationis hujusmodi.

Hæc autem perperàm dicuntur entia rationis, cùm ea sint tantum pura nomina, quæ rebus conceptis imponuntur distinctionis gratiâ. Alioquin cætera nomina, quæ rebus quibuslibet imponuntur, dicenda essent pariter entia rationis. Quod enim concipiam quòd *Petrus est homo*, hic nullum est ens rationis, sed utrumque est ens reale tam conceptus, quàm Petrus ipse, quod autem Petrus sic conceptus dicatur subjectum; hoc nihil illi tribuit de novo; sed tantùm significat quòd tali modò conceptus sit, in quo nullum est ens rationis; sed mera denominatio extrinseca. Sed quia sunt alii, qui inter entia rationis constituunt etiam denominationes extrinsecas.

Nota. Aliam esse denominationem intrinsecam, aliam verò extrinsecam. Intrinseca denominatio est ea, quâ subjectum denominatur ab aliquâ formâ, quæ ipsi realiter inest. Ut paries ab albedine, quæ in ipso pariete realiter inhæret, denominatur, & dicitur albus denominatione intrinsecâ; dicitur autem visus, vel conceptus denominatione extrinsecâ. Quia, scilicet,

visio, vel intellectio est extrinseca parieti: nam ipsi parieti non inhæret, sed oculo, vel intellectui. Hujusmodi autem denominationes sunt veræ, & reales; quamvis extrinsecæ sint: & ideò malè dicuntur entia rationis. Hæc tamen est mera quæstio de nomine.

CAPUT XXVI.

De Entis Creati Defectu.

Licet proprium sit entis esse bonum, seu perfectum, & sine defectu; idque omni enti necessariò conveniat; non tamen univocè convenit, sicut ratio entis non est univoca, sed analoga. Unde sicut omnis creatura non est ens, sed ens secundùm quid: ita omnis creatura non est bonum ens, sed bonum ens secundùm quid. Quia non est bona, seu perfecta in ratione entis: sed in ratione entis secundùm quid. Cùm igitur creatura deficiat in ratione entis, quid, & quotuplex sit defectus entis creati explicandum est; postquam de aliis entis creati oppositis egimus.

Ens definitur (*quod existit*) ac proinde entis defectus nihil aliud esse potest, quàm defectus existentiæ. Is autem multiplex est in ente creato, quod existit contingenter, & secundùm quid.

Primus est. Quod ex non ente fiat ens, seu ex non existente existens. Ac proinde quod priùs non existat, quàm existat.

Secundus est. Quod existat ab alio, neque enim se ipsum producere potest.

Tertius est. Quod ex ente fieri possit non ens, seu non existens. Quia contingenter existit.

Quartus denique est. Quod alicubi tantùm, & aliquando, & in aliquâ specie finitâ, & determinatâ existat. Petrus v. g. Existit hic, & non alibi circumquâque in immensùm; existit hoc instanti, non autem præteritis jam instantibus in infinitum, neque sequentibus instantibus pariter in infinitum existit, pro quibus est in potentiâ dumtaxt ad existendum. Unde infiniti sunt existentiæ defectus in ente creato, quod existit ex parte, & secundùm quid; & maximâ ex parte, & simpliciter non existit.

Hæ sunt proprietates entis creati, & defectus essentiales illius, quibus deficit in ratione entis. Et quia *operari sequitur esse*, eosdem prorsus habet defectus entis creati operatio, sive operandi potentia, ut perspicuum est.

PARS PRIMA.

METAPHYSICÆ

TRACTATUS SECUNDUS.

QUI DICITUR THEOLOGIA *naturalis.*

CAPUT PRIMUM.

De causâ Entis Creati.

EXISTENTIA rerum, ſicut earum eſſentia, demonſtrari non poteſt niſi ab effectu, ſeu à poſteriori. Cùm nihil prius ipsâ eſſentiâ, vel exiſtentiâ poſſit intelligi. Nulla quoque exiſtentia rei, quæ ſenſibus clarè percipitur, demonſtrari poteſt. Quia non minùs res ipſa clarè percipitur ſenſibus, quàm ipſius effectus. Unde per effectum demonſtrari non poteſt; cùm æque nota ſit. Ideo mundum exiſtere, & omnia quæ in mundo ſunt viſibilia, per ſe notum eſt, & indemonſtrabile: neque ullus unquam repertus eſt, qui hac de re vel minimùm dubitaverit.

Quamvis autem innum eræ de exiſtentia

Dei fieri possint demonstrationes. Cùm nihil sit in mundo, quod à Deo non fuerit factum, atque existentia causæ per quemlibet effectum ejusdem causæ demonstrari possit; impossibile est enim quod non existit quemcumque effectum vel minimum producere, ut per se notum est. Hîc tamen demonstrationem Metaphysicam tantùm tradere in animo est, id est, universalissimam, ad quam cæteræ omnes tanquam ad commune principium reducantur. Hoc autem sic aggredior.

Quidquid essentialiter, atque simpliciter non existit, non habet ex se, vel à suâ essentiâ quod existat; atque ita necesse est ut non existat, aut ut existat ab alio, quod essentialiter existit, & per quod è nihilo per creationem educatur. Non enim hîc agitur de possibilitate physicâ, quâ aliquid educi potest per generationem de potentiâ materiæ, quæ novum tantùm existendi modum, non ipsam existentiam acquirit per generationem; sed de possibilitate Metaphysicâ, seu existentiæ non repugnantiâ, quæ est ab æterno, & quâ nihil prius excogitari potest existens, ex quo, vel à quo aliquid produci possit, præter ens essentialiter existens: sed omnia, quæ in mundo sunt, existunt, nec tamen essentialiter, & simpliciter existunt; ergo totus mundus, & omnia, quæ in

mundo sunt, sive in cælo, sive in terrâ, pariter è nihilo creata sunt. Atque ita Creatorem mundi, & omnium, quæ in mundo sunt, existere necesse est. Datur igitur ens, quod essentialiter, & necessariò existit, & quod est causa cæterorum omnium, quæ necessariò non existunt.

Prob. Min. Omne quod aliquando tantùm, & non semper existit, alicubi, non ubique, & in aliquâ tantùm entis specie finitâ, & determinatâ, non existit essentialiter, & simpliciter, sed contingenter dumtaxat, & secundùm quid; sed omne quod in mundo existit, aliquando tantùm, & non semper, alicubi, non ubique, & in aliquâ tantùm entis specie finitâ, & determinatâ existit, ut patet intuenti: nam terra v.g. quando existit hodie, non ampliùs existit heri, neque existit cras, existit in medio universi, non ubique, & in aliquâ entis specie finitâ, & determinatâ; non enim est ens simpliciter, sed quoddam ens, scilicet terra. Idem dicendum de aquâ, de aëre, de igne, & cæteris. Ergo nihil eorum, quæ in mundo existunt, essentialiter, & simpliciter existit; sed tantùm contingenter, & secundùm quid.

Confirm. quia nulla res in mundo existit, cujus essentia, seu existentiæ non repugnantia sine actuali existentiâ clarè concipi totaliter, & adæquatè non possit,

ut multiplici experientiâ unusquisque poterit evidenter cognoscere per partium enumerationem. Possum etenim clarè concipere animal rationale, admirativum, risibile, artium, & scientiarum capax, & beatitudinis, ne cogitando quidem quod actualiter existat. Quia nimirum est essentia, seu existentia essentialiter contingens, quæ proinde per sua prædicata essentialia cùm solà non repugnantiâ, quæ est ipsi essentialis, concipi potest; & sic de cæteris. Ergo nulla res est in mundo, quæ essentialiter existat. Si enim essentialiter existeret, non posset ejus essentia sine actuali existentia totaliter, & adæquatè concipi, ut patet.

Dices. Quodlibet animal vitam simul, & motum accepit à parentibus, & illi ab aliis in infinitum; ergo non est necessarium recurrere ad primam causam. Quamvis enim dici possit quod omne animal distributivè sit ab alio, non tamen collectivè.

Resp. 1°. Non hîc agitur, ut jam dictum est, de possibilitate Physicâ, quâ quodlibet animal educitur de potentiâ materiæ per generationem, & per ipsius materiæ jam existentis accidentalem mutationem; sed de possibilitate Metaphysicâ, quâ tota animalis essentia, ac præsertim materia, quâ constat quodlibet animal, è nihilô producitur; quæ productio è nihilo esse nequa-

quam poteſt, niſi ab ente eſſentialiter exiſtente, & infinitâ potentiâ prædito. Nihilominùs.

Reſp. 2°. Neg. Ant. Impoſſibilis eſt enim omnis progreſſus in infinitum, præſertim in cauſis ſubordinatis. Primum enim eſt cauſa medii, & medium cauſa ultimi, ſive media ſint plura, ſive unum tantùm; atque ita ubi datur ultimum, ibi neceſſariò datur medium, & ubi dantur ultimum, & medium, ibi neceſſariò datur primum. Nam ſi tollatur primum, nec medium erit, nec ultimum; ut manifeſtum eſt. Correlativa enim ſe mutuò ponunt: conſtat autem dari ultimum in qualibet generatione animalium; nam Petrus v. g. modò exiſtens, eſt ultimus in ſua generatione, & ſic de cæteris; unde neceſſe eſt ut detur & primum in qualibet generatione, & ſic non poteſt dari progreſſus in infinitum.

Reſp. 3°. Etiamſi concederetur ille progreſſus in infinitum, non tamen haberetur intentum. Cùm enim prædicatum eſt eſſentiale, aut neceſſarium non ſolùm de omnibus diſtributivè prædicabile eſt, ſed etiam de omnibus collectivè. Sic quia rationale eſt eſſentiale homini, non ſolùm de omni homine diſtributivè prædicabile eſt, dicendo ſcilicet hic homo & ille homo eſt rationalis ſingulos enumerando; ſed etiam de omnibus hominibus collectivè, quãtumvis infiniti

ſupponantur, dicendo omnes omnino homines ſunt rationales, vel tota ſimul ſpecies hominum eſt rationalis, ut manifeſtum eſt. Atqui eſſentiale eſt cuilibet animali non habere exiſtentiam, neque motum ex ſe, ſed ab alio; ergo de omnibus animalibus collectivè ſumptis idem prædicabile eſt, quantumvis infinita ſupponantur, dicendo videlicet omne animal, vel totum genus animalium eſt eſſentialiter ab alio, & habet motum ab alio ſcilicet, Deo omnipotenti.

Confirmatur demonſtratio præcedens evidentiſſimè. omnia, quæ in mundo incluſa exiſtunt, ſive corporea ſive incorporea, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, ſive plantæ, ſive animalia ipſius mundi exiſtentiam præſupponunt, ut patet. Neque enim in mundo exiſtere poſſent; ſi mundus ipſe non exiſteret. Mundi autem exiſtentia ſuarum partium exiſtentiam neceſſariò præſupponit, videlicet terræ, aeris, aquæ, cæli, & Aſtrorum, quæ omnia ſunt quædam corporis ſpecies; priùs enim naturâ exiſtunt partes, quàm ipſum totum; priùs quoque naturâ exiſtit corpus ſimplex, quàm compoſitum; & quàm quælibet ſpecies corporis, ut evidentiſſimum eſt.

Atqui corpus non exiſtit eſſentialiter, & ſimpliciter, ſed tantùm contingenter,

& secundùm quid; tum quod alicubi tantùm, & aliquando, & in aliquâ entis specie finitâ, & determinatâ existat; tum quod tota ejus essentia cum omnibus proprietatibus clarè concipi possit sine actuali existentiâ & sine motu actuali, videlicet substantia impenetrabilis, mobilis. &c.

Ergo cùm tam mundus ipse, quàm omnia, quæ in mundo existunt, priùs naturâ præsupponant ipsius corporis existentiam, quod cùm in sua essentia nullam existentiam actualem, nullumque motum includat, à Deo esse, & moveri necesse est ad quamlibet formam; Evidentissimum est tam mundum ipsum, quàm omnia, quæ in mundo existunt ab alio esse, quod essentialiter existit. Atque ita datur prima causa, & primum movens, Creator scilicet omnipotens, qui essentialiter existit, *immobilisque manens dat cuncta moveri.*

Dices. Cùm jam dictum sit alibi existentiam non distingui ab essentiâ in creatis; quomodò dicitur nunc quod tota essentia corporis potest cognosci totaliter sine existentiâ actuali. Idem enim non potest totaliter cognosci, & non cognosci

Resp. In creatis essentia possibilis non potest cognosci sine existentiâ possibili, quia idem sunt: neque essentia actualis sine existentia actuali. sed quia essentia, in creatis est essentialiter contingens; ita

ut possit esse, & non esse actualiter; ideò bene potest concipi existentia, seu essentia creaturæ per sua prædicata essentialia cum solâ non repugnantiâ essendi, vel non essendi, quæ est ipsi essentialis. Unde cùm dicitur essentiam posse totaliter concipi sine existentia actuali, nihil aliud significatur, quàm quod essentia, seu existentia possit totaliter concipi ut non repugnans produci, absque eò quod concipiatur ut producta.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones

OBjic.1°. Contra præcedentem demonstrationem. Essentia Dei non potest demonstrari etiam à posteriori, sive ab effectu, ergo nec illius existentia. Sequela patet, quia existentia, & essentia in Deo idem sunt. Probatur Ant. Quia cùm Trinitas sit de essentiâ Dei sequeretur nos posse cognoscere naturaliter Trinitatem personarum in Deo.

Resp. Neg. Ant. Ad cujus probationem Respondeo quod cùm essentia Dei sit infinita, non possumus comprehendere clarè, & totaliter totum id, quod dicit essentia dei. Et ideò quamvis multas cognitiones claras de Deo habere possimus, non

non mirum si trinitatem personarum naturaliter nosse, vel concipere clarè non possumus.

Instabis. Quidquid concipi non potest, non est ens; atqui trinitas personarum in Deo concipi non potest, ergo non est in Deo trinitas personarum.

Resp. Conc. Mai. Neg. Min. Tota enim ratio cur trinitas personarum in Deo à nobis non concipiatur, non est quod concipi non possit; sed quia clarè nobis non proponitur in statu, in quo sumus; nec est aliquid in creaturis, quod ad cognitionem trinitatis inducere nos possit. Si enim nobis clarè proponeretur, ut beatis in cælo, clarè quoque illam cognosceremus.

Objic. 2°. Si esset aliquod ens infinitum, omne aliud ens excluderet; ergo nullum est hujusmodi.

Resp. Dist. Ant. si esset aliquod ens infinitum corporeum, & impenetrabile, omne aliud ens corporeum excluderet, Conc. si illud ens esset immateriale, & intellectuale omni perfectionum genere infinitum, ut est Deus Neg. & Neg. Conseq.

Objic. 3°. Si esset aliquod ens infinitum, esset pariter infinitum bonum; cùm bonum, & ens convertantur; ergo omne malum omninò excluderet.

Resp. Dist. Conseq. Omne malum om-

ninò excluderet formaliter à se ipso, Conc. ab alio Nego. Deus enim ad extra liberè agit.

Objic.4°. Si Deus esset, esset infinitè sapiens, & justus; atqui nulla videtur esse sapientia, nec justitia in Deo: cùm sinat malos in hoc mundo exultare in rebus pessimis, dum boni multis calamitatibus affliguntur; ergo non est Deus.

Resp. Conc. Mai. Neg. Min. Neque enim malis temporalibus, & finitis pensanda est æterna, & infinita Dei justitia; sed æternis, & infinitis. Illa enim in bona æterna, & infinita converti possunt. Cæterùm divina sapientia (ut ait divus Augustinus) *meliùs judicavit ex malis facere bona, quàm nulla mala permittere.* Sic enim clariùs apparet infinita sapientia Dei, dum ex summo malo summum bonum efficiendi sumpsit occasionem, ut cùm ex prævisione peccati primi hominis decrevit incarnationem filii Dei, quâ factum est ut homo fieret Deus.

Objic. Tandem cum Cartesio. Existentia Dei demonstrari potest à priori; ergo falsum est quod dicis demonstrari tantùm ab effectu posse, sive à posteriori. Cartesius enim dicit hanc esse optimam demonstrationem (*ego concipio clarè ens essentialiter existens, ergo datur ens essentialiter existens*) scilicet, Deus.

Resp. Neg. Ant. Cùm enim omnis nostra cognitio ducat initium à sensibus, qui res invisibiles, & spirituales, percipere nequaquam possunt; sed tantùm visibiles, & corporeas, per quarum cognitionem ad invisibilium cognitionem discurrendo devenimus; manifestum est nos non posse demonstrare existentiam Dei à priori; sed tantùm ab effectu visibili, & corporeo; maximè cùm Deus nullam possit habere causam. Unde fit ut nullo modo possimus clarè concipere essentiam Dei; nisi priùs aliquem ejus effectum perceperimus per claram cognitionem sensuum. Quàpropter dicendum, quod Cartesius non potuisset clarè concipere ens essentialiter existens; nisi priùs clarè concepisset ens contingenter existens: atque ex illius clarâ cognitione devenisset per discursum ad claram Entis essentialiter existentis notitiam. Quod si aliter fiat nunquam possumus certò, & evidenter dijudicare utrum illa idea Entis essentialiter existentis sit vera intellectûs idea, an pura tantùm imaginatio, aut soliùs dumtaxat nominis intellectio.

CAPUT III.

De Divinis Attributis.

CUm itaque constet Deum existere, Ens, scilicet, cui soli essentialiter, atque simpliciter convenit definitio entis (*quod existit*) non erit difficilè ex ipsius essentiæ clarâ cognitione omnia ejus attributa essentialia, sive proprietates omnes demonstrare. Cùm autem proprietates cum ipsâ essentiâ realiter identificentur, manifestum est omne Dei attributum nihil aliud esse, quàm ipsam Dei essentiam essentialiter, atque simpliciter existentem.

1°. Itaque cùm Deus sit ens essentialiter, atque simpliciter existens, quidquid de ente simpliciter existente concipi potest, essentiale est Deo. Deus igitur est ens sine ullâ prorsus restrictione, aut limitatione, proindeque infinitus est ex omni parte, atque infinitis perfectionibus præditus est. Alioquin non existeret essentialiter, & simpliciter, neque ei definitio entis (*quod Existit*) essentialiter, & simpliciter conveniret; sed tantùm contingenter, & secundùm quid: & sic non esset Creator, sed creatura. Omnis enim creatura existit contingenter, & secundùm quid, per participationem aliquam, & in aliquâ tan-

tum entis specie finitâ, & determinatâ.

2°. Deus est æternus. Si enim posset aliquando esse, & aliquando non esse, non existeret essentialiter, & simpliciter; sed tantùm contingenter, & secundùm quid. Quàpropter æternitas nulla esse potest præter ipsam Dei Essentiam.

3°. Deus est ubique, & immensus, & non habet finem. Nam si alicubi esset, & alicubi non esset, non existeret essentialiter, & simpliciter, sed contingenter, & secundùm quid.

4°. Deus est substantia, quia substantia est ens per se formaliter existens; atqui Deus essentialiter, ac per se formaliter existit, ergo &c.

5°. Deus est Ens spirituale, indivisibile, quia si esset ens corporeum, aut divisibile; essentialiter, & simpliciter non existeret. Corpus enim existit tantùm contingenter, & secundùm quid, ut jam demonstratum est, sicut omne compositum, aut divisibile; partes enim sunt priùs naturâ composito, ut per se notum est.

6°. Deus est vivens, seu principium actionum immanentium; illudque immortale. Quia est ens essentialiter existens spirituale, & quia operari sequitur esse; ideo operatur, & vivit vitâ spirituali, & intellectuali, intellectione, scilicet, & volitione, imo est sua vita, & vita essentialis. Quid-

quid enim in Deo est, Deus est, Ens scilicet essentialiter existens. Unde Deus est intellectio, & volitio infinita simpliciter.

7°. Deus est immobilis, quia simpliciter, & ubique existit infinitè diffusus.

8°. Deus est immutabilis, quia nullam prorsus perfectionem potest acquirere aut deperdere; cùm ei entis definitio tota essentialiter, atque simpliciter competat. Hinc nihil de novo cognoscere aut velle potest: sed omnia ab æterno novit, & vult quæcumque vult.

9°. Deus unus est, & summa unitas, quia totam entis essentialis plenitudinem ipse solus perfectissimè replet, & comprehendit. Nam ipsi tota entis definitio essentialiter, simpliciter, ubique, & semper convenit. Unde nullus datur alteri enti essentiali locus.

Dices Petrus est homo, & tota essentia hominis de ipso essentialiter, & simpliciter prædicatur; nec tamen hoc impedit quin sint alii homines, ut patet; ergo &c.

Resp. Si Petrus esset ens simpliciter, ubique, & semper existens, atque ipsi tota hominis essentia simpliciter, ubique, & semper conveniret: sine dubio implicaret esse alios homines præter ipsum. Sicut implicat alios esse Deos præter unum: quia Deus est ens simpliciter, ubique, & semper existens, cui tota entis essentialis definitio,

simpliciter, ubique, & semper convenit. Sed Petrus est ens secundùm quid, alicubi tantùm, & aliquando existens. Unde licet hominis essentia de ipso simpliciter prædicetur; hoc non impedit quin sint alii homines: maximè cùm hominis essentia, quæ de ipso simpliciter prædicatur, sit pariter ens secundùm quid.

10. Deus est summè bonus, & summum bonum, ac summa Bonitas; cùm sit summum, & infinitum ens: id est, ens essentialiter, & simpliciter existens. Bonum enim, & ens convertuntur. Quapropter Deus est infinitè bonus, infinitè pulcher, infinitè amabilis & benefaciens, omnimodam enim perfectionem entis simplicis comprehendit.

11°. Deus est summum verum, & summè verax, ac summa veritas. Cùm sit summum ens; nam verum & ens convertuntur. Unde nec falli, nec fallere potest.

12°. Deus est infinitè potens. *Operari enim sequitur esse*; atqui Dei essentia est simpliciter infinita. Operatur autem liberè ad extra in productione, & conservatione creaturarum, tum quòd libertas sit perfectio simplex; tum quòd creaturæ sint entia essentialiter contingentia, quæ possunt esse, & non esse; unde ad libitum illas producit, quando vult; illasque conservat, quamdiu ei placet. præthereà Deus est

infinitè justus, & misericors, infinitè pius, atque beatus; cùm omnimodam perfectionem perfectissimè possideat.

Ex his manifestum est nihil existere in mundo, quod essentialiter, & simpliciter existat; cùm nihil omninò sit cui omnia Dei attributa, sed ne unum quidem solummodò unquam competere possit. Ut evidentissimum est.

CAPUT IV.

De Causâ Entis creati Conservativâ.

PRæcedentem quæstionem, in quâ de entis creati causâ egimus, sequitur necessariò altera, quæ de rerum conservatione dicitur, in quâ scilicet quæritur utrum creatura omnis jugi, ac perpetuo Dei influxu conservetur: vel an indirectè tantùm Deus conservet creaturas, & per accidens, causas scilicet nostræ destructionis inhibens. Cui quæstioni.

Resp. Omnis creatura jugi influxu Dei directè conservatur. Probari solet conclusio multis tum sacræ Scripturæ locis, tum sanctorum patrum authoritatibus: sed hæc ad theologos remittimus, atque lumine naturali conclusionem demonstramus sequenti argumento.

Probatur conclusio. Omnis creatura

non habet ex se; vel à suâ essentiâ quod actualiter existat, atque ita necesse est ut non existat, aut ut à Deo omnipotenti existentiam accipiat, & producatur per actualem influxum ejusdem dei omnipotentis; ut jam demonstratum est. Ac proindè actualis existentia creaturæ in primo sui esse essentialiter, immediatè, atque directè, & per se dependet ab actuali influxu Dei; atqui si aliquando esset illa actualis existentia creaturæ sine actuali influxu Dei, actualis existentia creaturæ non dependeret essentialiter, immediatè, & per se ab actuali influxu Dei, ut manifestum est. Nihil enim existere unquam potest sine eo, quod est ei essentiale, & quod semel essentiale est, id semper essentiale esse necesse est. Nam rerum essentiæ sunt immutabiles. Ergo quandiu est actualis existentia creaturæ, tandiu est illa essentialis dependentia, quâ actuali influxu Creatoris immediatè dependet; unde manifestum est, quod quandiu durat creatura, jugi influxu creatoris immediatè conservatur, sine quo statim in nihilum redigeretur.

Objic. 1°. Vel conservatio est eadem actio cum creatione, vel ab eâ distincta; hoc utique dici non potest: Cùm eadem sit causa, & idem effectus, nec actio sit ab utroque distincta; sed neque eadem esse potest cum creatione. Nam creatio est productio

rei ex nihilo, conservatio autem rem jam existentem præsupponit: creatio est momentanea, & conservatio diu perseverat.

Resp. Eadem est actio creativa, ac conservativa actualiter, distincta verò virtualiter in ordine ad nostrum concipiendi modum, seu formaliter Logicè. Id est, quamvis creatio, & conservatio sint una, & eadem actio Dei, imò sint ipsemet Deus (cùm nihil in Deo sit, quod Deus non sit) pluribus tamen æquivalet à parte rei. Ita ut, in quantùm eadem actio connotat creaturam priùs non existentem, sub illo respectu dicatur creatio: quatenus verò connotat rem priùs existentem dicatur conservatio. Conservatio itaque creaturæ est continuata, & non interrupta rei productio.

Objic. 2°. Non est denegandum Creatori; quod creaturæ non denegatur; atqui artifex creatus potest opus permanens operari, quod, etiamsi deinde moriatur ille, aut recedat, permanet: ergo multò magis hoc potest facere Deus.

Resp. Neg. Paritatem. Nam existentia Creaturæ essentialiter dependet à Deo, à quo immediatè conservatur, non ab Artifice creato, à quo nulla creatura existentiam accipere unquam potuit; sed tantùm aliquod esse accidentale, seu modum essendi accidentalem. Et ideo non mirum si recedente Artifice conservetur opus, quod à

Deo immediatè conservatur,& à quo totum suum esse, precisè,ut esse est accepit. Deus autem non potest facere ut creatura non sit creatura,& quod à creatore immediatè non dependeat. Confirmatur. Quia nullus Artifex, v. g. sculptor, ligno, aut lapidi, lapidis, aut ligni esse tribuit; sed tantùm sculpendo, & resecando statuam efficit.

Objic. 3°. Sunt quædam res naturâ suâ incorruptibiles, ut Angelus, & Anima rationalis. Ergo res hujusmodi non indigent jugi influxu Dei ut permaneant.

Resp. Neg. Conseq. Quamvis enim Angelus, & Anima rationalis sint incorruptibiles, & mutari non possint ab uno esse in aliud; sicut lignum mutatur in ignem, & panis in carnem; mutari tamen possunt ab esse simpliciter ad non esse, & annihilari per substractionem influxûs Dei, à quo immediatè conservantur. Quia cùm sint entia essentialiter contingentia, nec ullam habeant ex se actualem existentiam; eorum existentia essentialiter ab actuali influxu Dei immediatè dependet.

Ex his colliges quod cùm esse creaturæ essentialiter ab actuali influxu Dei immediatè dependeat; ita omnis creaturæ operatio ab actuali influxu Dei immediatè dependet. Nam *operari sequitur esse*. Sed de Theologiâ naturali satis pro nostro instituto. De concursu enim Dei cum causis

ſecundis fuſiùs agemus in phyſicâ, dum tractabimus de causâ efficiente, quæ eſt principium motûs, & quietis. Ubi vides nullam eſſe ſcientiam, quæ de Deo tractare non debeat. Ac proinde in nullâ ſcientiâ poſſe includi Deum omnipotentem.

PARS SECUNDA METAPHYSICÆ

Procemium.

HUc usque de naturâ, & proprietatibus entis creati, ipsiusquê principiis, oppositis, & causâ productivâ, tum conservativâ loquuti sumus. Nunc de entis creati differentiis, seu speciebus analogis, videlicet, de ente universali, & singulari, de substantiâ, & accidente in genere, ut scilicet, abstrahunt à corporeo, & incorporeo juxta methodum scientiæ agendum est. In hâc igitur secundâ parte Metaphysicæ de naturâ, proprietatibus,& oppositis universalis, tum de ente singulari tractabimus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, & naturâ universalis.

CEleberrima est inter Philosophos, & variis intricata difficultatibus quæstio de universali. Alii namque ut Platonici

universale separatum à singularibus arbitrantur ; si Aristoteli fidem adhibeamus. Alii in ipsis singularibus à parte rei esse naturam communem formaliter ex naturâ rei, ut Scotus. Alii cum Thomistis nullum universale nisi in intellectu, & per mentis operam admittunt. Alii denique nullum universale agnoscunt. Quàpropter ut in tantâ difficultate certò, & evidenter procedamus, methodum scientiæ observare imprimis necessarium est : ut scilicet à definitione nominis, & naturæ universalis exordiamur.

Universale dicitur multipliciter 1°. enim dicitur universale *id omne quod multis commune est, vel quod dicit ordinem ad multa* : Sic *Sol* dicitur universale in causando, seu causa universalis, quia ad omnes plantarum, arborum, & animalium effectus suo calore concurrit. Sic vox, *homo*, dicitur universale in significando, seu signum universale; quia omnes homines significare potest. Sic denique imago, vel idea leonis dicitur universale in repræsentando : quia omnem Leonem repræsentare potest. Non est autem modò quæstio de universali in his significationibus : sed de universali in essendo, & in prædicando.

Primum definitur, *unum aptum inesse multis*, vel potiùs (*unum in multis.*) posterius verè definitur (*unum aptum prædicari*

de multis. Sic *animal rationale*, est unum in multis, scilicet, entibus: quia omnibus hominibus inest. Omnes enim homines sunt multa entia, ut patet. Est etiam unum aptum prædicari de multis entibus: quia prædicabile est de omnibus hominibus. Ubi notandum quod esse unum in multis, est essentia universalis: posse verò prædicari de multis, est illius proprietas; quia fluit ab essentiâ. Nam ideo prædicabile est de multis: quia multis inest. Prior itaque definitio est Metaphysica: quia Metaphysica entis essentiam considerat. Posterior autem definitio logica est: quia Logica entis prædicabilitatem, seu scibilitatem demonstrat.

Ex his definitionibus colligitur tria requiri ad naturam universalis. 1o. Enim requiritur ut res, quæ dicitur universalis, sit aliqua natura vera, realis, & positiva. Cùm enim omne universale sit objectum scientiæ, necessariò debet esse ens verum, reale, & positivum, atque necessarium. Nam de contingenti non datur cognitio certa: neque de ente fictitio, aut imaginario cognitio vera.

2o. Requiritur ut natura universalis sit una. Cum enim universale sit quid commune multis, necessariò debet habere in se unitatem; alioquin non esset quid commune multis; sed tantum multa essent in

multis. Unum autem dicitur *quod est indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio.*

3°. Requiritur ut illa natura non solùm sit in se una, verùm etiam multiplex in multis per veram, & realem sui multiplicationem in illis. Ita ut de omnibus, & singulis simpliciter, & adæquatè prædicari possit. Ut *Animal* de homine, & Leone non secundùm quid, sed simpliciter, & adæquatè prædicatur.

Hinc manifestum est Naturam Divinam non esse universalem; quamvis ea sit in tribus personis Divinis: quia est una in illis, non multiplex. Item Animam rationalem non esse universalem, etsi una sit in multis corporis partibus: quia in illis non multiplicatur. Si quidem ad verum universale requiritur ut jam dictum est, ut eadem natura sit in se una, & in inferioribus multiplex.

Ratio autem, cur natura universalis debet esse in se una unitate universali, est quia quælibet definitio, & quælibet scientia est una idea universalis, quæ multa tum collectivè tum distributivè repræsentare potest: unde necesse ut illius objectum sit unum unitate universali, aliàs idea non esset una, ut patet. Cùm enim v. g. definitur homo (*Animal rationale*) illa definitio est una unitate universali, & multiplex in multis unitate singulari: quia prædicari potest tum de multis uni-

versaliter dicendo (*Omnis homo est animal-rationale*) tum de singulis distributivè, ut cùm dicitur (*Petrus est animal-rationale*) (*Paulus est animal-rationale*) & sic de cæteris.

Certum est autem & evidens quod quælibet natura universalis v. g. natura humana inest multis à parte rei multiplex, & singularis. Multi enim sunt homines singulares, quibus singulis sua inest natura humana singularis, ut per se notum est. Idem intelligendum de qualibet aliâ naturâ universali. Unde tota quæstio est quænam sit illa unitas universalis naturæ humanæ v. g., atque utrum illa unitas sit à parte rei, aut per intellectum dumtaxat. Quod sequenti capite explicabitur.

CAPUT II.

De Unitate universali nostra sententia.

Conclusio. Unitas universalis est à parte rei, & nemine cogitante. Non est unitas absoluta sed virtualis, & relativa tantùm ad scientiam; ac proinde non est unitas formalis physica, sed formalis Logica, quâ plura sunt unum unitate relativâ, in ordine, scilicet, ad unam, & eamdem ideam, quâ repræsentari possunt. Explicatur, & probatur conclusio.

1°. Certum est, & evidens quod tota ratio, cur requiratur illa unitas universalis naturæ humanæ v. g., est ut unâ, & eâdem ideâ hominis omnis homo æqualiter repræsentari possit; ut una, & eadem hominis definitio omni homini conveniat: atque ut una, & eadem scientia hominis sit omnis hominis scientia; certum est inquam, nullam prorsus aliam esse rationem, cur illa unitas universalis requiratur. Unde certum quoque est, & evidens nullam aliam requiri unitatem universalem hominis, vel naturæ humanæ, præter eam, quæ verè sufficit, ut omnis homo unâ ideâ verè repræsentari possit, unâ definitione definiri, atque unâ & eâdem scientiâ cognosci, vel sciri.

2°. Certum est, & evidens omnes homines non esse absolutè, & physicè unum hominem à parte rei, sed multos homines, neque id necessarium est, ut patebit inferiùs, ad hoc ut unâ ideâ repræsentari possint, unâ definitione definiri, atque unâ scientiâ sciri: ergo nulla requiritur unitas absoluta, & physica à parte rei: neque ut omnes homines sint absolutè, & physicè unus homo. Hoc enim implicat manifestam contradictionem. Omnes enim homines neque realiter, neque formaliter ex naturâ rei, ut vult Scotus, sunt unus homo absolutè, & physicè loquendo, sed forma-

liter ex naturâ rei sunt multi. Cùm impossibile sit ex naturâ rei quod omnes homines sint unus homo, aut omnes naturæ humanæ una natura humana; ut per se patet; neque enim id concipi ullo modo potest.

3°. Certum est pariter, & evidens non posse concipi omnes homines per modum unius, vel ut unus actualiter homo, ut volunt Thomistæ, Hoc enim manifestam involvit contradictionem. Dato tamen, & non concesso quod concipiantur omnes homines ut unus homo: illa unitas naturæ humanæ sic conceptæ erit ens rationis chimæricum; quod universale esse non potest, neque objectum scientiæ. Omne enim objectum scientiæ est ens reale, verum, & positivum, non fictum, aut chimæricum. Neque illa unitas est necesſaria ad hoc, ut omnes homines unâ ideâ repræsentari possint, unâ definitione definiri, atque unâ scientiâ sciri.

4°. Certum est denique, & evidens omnes homines esse similes in ratione hominis, vel in naturâ humanâ, & quod unâ, & eâdem ideâ repræsentari possunt omnia, quæ similia sunt. Neque enim opus est diversis ideis ad repræsentandum ea, quæ diversa non sunt, ut manifestum est. Ergo omnes homines possunt (nec aliter fieri ullo modo potest) repræsentari in ratione

hominis per unam, & eamdem ideam. Idem dicendum de omnibus animalibus in ratione animalis, & de quâcumque aliâ specie sub quâcumque ratione universali consideratâ, vel scilicet in ratione viventis, vel in ratione corporis, aut substantiæ.

Ex his evidenter colligitur, & demonstratur conclusio. Manifestum est enim quod, quamvìs omnes homines sint physicè & absolute multi à parte rei, nec aliter id esse possit: sunt tamen formaliter Logicè, id est, virtualiter, & relativè unus homo in ordine ad unam, & eamdem ideam vel scientiam. Quia scilicet, ut jam dictum est, unâ & eâdem ideâ repræsentari possunt; unâ, & eâdem definitione definiri, atque unâ & eâdem scientiâ sciri. Hæc enim necessariò sequuntur ex eo, quod unâ & eâdem ideâ repræsentari possint.

Nam sicut unum, & idem ens absolutè, & physiè indistinctum, formaliter Logicè, id est, virtualiter, & relativè ad intellectum, & ad scientiam est plura, quia æquivalet pluribus in ordine ad nostrum concipiendi modum: ita ut pluribus conceptibus distinctis, & inadæquatis concipi, & repræsentari possit à parte rei. Nam conceptibile est à parte rei conceptibile, licet respectivè tantùm ad intellectum. Ita ea quæ sunt absolutè, & physicè plura,

dummodò fuerint similia sunt formaliter Logicè id est, virtualiter, seu relativè unum quatenus æquivalent uni: & perinde se habent, ac si reverà physicè, & absolutè essent unum in ordine ad nostrum concipiendi modum; ita ut unius ideæ, unius definitionis, & unius scientiæ objectum esse possint; tum unius propositionis Logicæ subjectum, vel prædicatum. Hæc est igitur vera unitas universalis, non quidem formalis Physica, sed formalis Logica; non absoluta, sed virtualis, seu relativa ad intellectum, & ad scientiam. Omnis alia unitas impossibilis est: unde nulla est alia quærenda unitas universalis.

Tota autem ratio, cur omnes homines formaliter Logicè, id est, virtualiter, seu relativè ad intellectum, & ad scientiam sint unus homo, id est, cur unâ ideâ hominis repræsentari possint, est quia similes sunt. Ac proinde illa similitudo est ipsa unitas formalis Logica à parte rei, non quidem unitas absoluta, sed relativa ad intellectum, & ad scientiam, ut jam dictum est. Hinc datur unitas objectiva universalis naturæ humanæ v. g. & omnes homines, quatenus sunt relativè unus homo, id est, quatenus unâ ideâ repræsentari possunt à parte rei, sunt universale in essendo, & in prædicando. Idea verò hominis, quatenus omnem hominem repræsentare, po-

test, est in universale in repræsentando. Ubi notandum quod universale objectivum est absolutè multa, quæ sunt formaliter Logicè, seu relativè unum. Universale autem in repræsentando est absolutè unum, & formaliter Logicè, seu relativè plura, scilicet, una idea, quæ potest multa repræsentare. Datur igitur universale formale objectivum à parte rei, quod est objectum scientiæ, & universale formale in repræsentando, quod est idea, vel scientia universalis, de qua non est modò quæstio. Hîc enim tantùm agitur de objecto scientiæ, non de ipsá scientiâ.

Quomodò autem omnes homines unâ, & eadem ideâ repræsentari possint, breviter accipe. Certum est quod possum concipere hunc hominem, seu Petrum ut homo est præscindendo ab ejus differentiâ individuante eo modo, quo præcisiones explicavimus non considerando scilicet accidentia singularia, & contingentia, per quæ differt ab omni alio; sed considerando tantùm, vel concipiendo quod *homo est*, in quo similis est omnibus hominibus. Certum est, inquam, quod illa idea, quam tunc in mente efformo, est una, atque unius tantùm objecti idea. Et tamen illa idea omnem, & quemlibet hominem repræsentare potest, ut patet. Quia nimirum in ratione hominis omnes similes sunt. Ita ut possim conjungere in mente illam ideam

hominis cum ideâ singulari cujuslibet hominis, vel omnis hominis: dicendo scilicet in mente, *hic homo*, vel *ille homo*, vel *omnis homo*, vel *quidam homo*, nunquam mutando ideam hominis.

Sed ut hæc clariùs intelligantur, examinemus hanc propositionem mentalem, quæ universalis est (*omnis homo est animal*) quid enim sibi vult (*omnis homo*) nisi omnes homines non sunt actualiter, & absolutè unus homo, sed multi; neque concipio omnes homines ut unum actualiter hominem. Neque enim hoc possibile est, aut necessarium; homo autem sic conceptus est una tantùm idea, ut patet, quæ omnem hominem repræsentat. Sequens propositio (*quilibet homo est animal*) id clariùs intelligendum præbet. Nam ea est æquè universalis, ac prima; atque omnem, & quemlibet hominem pariter significat, & repræsentat. Idem quoque denotat propositio universalis negativa, nullus homo est lapis, nam ita quemlibet hominem significat, ut simul omnem hominem significet.

Similiter, quando concipio quod *omnis homo est animal*, non concipio quod omnes homines sint actualiter, & absolutè, seu physicè unum animal; omnes enim homines sunt multa animalia, non unum duntaxat. Et tamen, ut vides, *animal* est

una tantùm idea, quâ omnes homines in ratione animalis repræſentantur. Quia ſcilicet in ratione animalis ſunt ſimiles, atque ideo non actualiter phyſicè ſed formaliter Logicè, non abſolutè, ſed relativè tantùm ad unam ideam ſunt unum animal, id eſt æquivalent uni animali, vel perinde ſe habent, ac ſi abſolutè eſsent unum animal, in ordine ad illam ideam, quâ omnes repræſentantur.

CAPUT III.

De proprietatibus univerſalis.

NOſtrum verò univerſale eſse verum univerſale probatur & confirmatur tum ex definitione, tum ex proprietatibus univerſalis, quæ ei ſolummodò ad excluſionem aliorum univerſalium, conveniunt.

1°. Enim univerſale definitur (*unum in multis, & unum aptum prædicari de multis*) atqui certum eſt, & evidens naturam humanam v. g. ſeu hominem eſse in multis, & eſse aptum prædicari de multis à parte rei, quia multi exiſtunt homines, de quibus omnibus, & ſingulis prædicari poteſt quod homo ſint. Omnes autem homines ſunt formaliter Logicè, ſeu relativè ad unam & eamdem ideam unus homo à parte rei. Ergo univerſale eo modo, quo explicavimus,

cavimus, est verè unum in multis à parte rei & unum aptum prædicari de multis: proindèque veram habet rationem, seu definitionem univesalis.

2° Proprium universalis est quod sit necessarium, & incorruptibile. Quia cùm objectum scientiæ sit necessarium, & incorruptibile; atque universale sit objectum scientiæ: illud debet esse necessarium, & incorruptibile. Atqui species hominis, & alia quælibet species creata est necessaria, & incorruptibilis à parte rei; quia videlicet quælibet species necessariò existit, & conservatur per generationem: ac proinde necesse est existere homines, & alia cujuslibet speciei individua, non tamen hoc, vel illud; nec est ullum agens naturale tantæ virtutis, aut potentiæ, quod possit hoc impedire, vel totam speciem hominis aut aliam quamlibet destruere. Unde quælibet species necessaria est à parte rei & incorruptibilis, atque in æternùm duratura naturaliter. Et quamvis de fide certum sit mundum aliquando finem habiturum per divinam potentiam quantùm ad rerum generationem. Philosophus tamen rerum naturam considerat, & lumine naturali.

3° Universale est posterius singularibus, id est, posteriùs naturâ: quia non potest existere nisi in singularibus, & per ipsa

ſingularia. Cùm nimirum univerſale nihil aliud ſit, quàm ipſa ſingularia, quatenus ſunt formaliter Logicè unum, ſeu relativè ad unam, & eandem ideam.

4°. Denique univerſale eſt objectum ſcientiæ, ſeu ens ſcibile: quia nimirùm eſt ens verum, reale, incomplexum, & neceſsarium eo modo, quo explicavimus.

Hinc vides evidentiſſimè non ſolùm definitionem, verùm etiam omnes proprietates univerſalis noſtro univerſali optimè convenire: quod nullus de ſuo poterit demonſtrare. Quàpropter totum negotium peractum eſſet, & illa celebris quæſtio clarè explicata, & reſoluta: ſi cum viris doctis duntaxat ageremus. Placet tamen in gratiam Tyronum opiniones aliorum, eorumque rationes breviter referre, atque refellere eò libentiùs, quò noſtra ſententia per aliarum opinionum oppoſitionem magis eluceſcere poteſt. Nam oppoſita juxta ſe poſita clariùs eluceſcunt. Priùs tamen quædam ſolvendæ ſunt objectiones, quæ fieri poſsunt contra noſtram concluſionem.

CAPUT IV.

Solvuntur objectiones.

OBjic. 1°. Univerſale eſt unum in multis, ſed implicat contradictio-

nem quod sit aliquid unum in multis; nam illud esset unum, & non esset unum: esset unum ex suppositione, & non esset unum, quia esset multa. Quod enim identificatur cum multis est multa. Ergo implicat esse universale.

Resp. Dist. Min. Implicat contradictionem quod sit aliquid unum in multis videlicet, quod sit actualiter, & physicè in multis, & actualiter, & physicè unum, Conc. Quod sit actualiter, & physicè in multis, & relativè unum in ordine ad unam, & eamdem ideam, id est, formaliter Logicè Neg. & Neg. Conseq.

Objic. 2°. Quidquid existit est singulare: ergo nullum est universale.

Resp. Dist. Ant. Quidquid existit est singulare absolutè, & physicè Conc. virtualiter; & relativè ad scientiam, seu formaliter Logicè Neg., & Neg. Conseq. Nam ipsa singularia sunt ipsum universale, quatenus sunt formaliter Logicè unum eo modo, quo explicavimus.

Objic. 3°. Universale est necessarium, sed singularia sunt contingentia; ergo singularia non possunt esse universale.

Resp. Dist. Min. singularia sunt contingentia actualiter, & in individuo conc. virtualiter, & in specie Neg. & Neg. Conseq. Cùm enim species omnes necessariò conserventur per generationem, ut jam

dictum est, necessarium quoque est semper existere singularia, quæ speciem constituunt; quamvis non sit necessarium hoc, vel illud singulare existere. Quàpropter licet singularia pereant actualiter; cùm tamen succedant alia, ac substituantur loco priorum: eadem æquivalenter, ac virtualiter permanent; id est, perinde se habent in ordine ad scientiam, ac si eadem semper actualiter permanerent. Maximè cùm scientia non consideret singularia quatenus differunt per accidentia diversa; sed quatenus similia sunt, & indeterminatè.

Objic. 4°. Similitudo singularium est illud, per quod singularia sunt unum unitate universali, & relativâ ad scientiam; atqui similitudo cùm sit relatio dicit essentialiter plura; ergo non potest esse illud, per quod plura sunt unum.

Resp. Dist. Min. Similitudo dicit essentialiter plura actualiter, & physicè, conc. virtualiter in ordine ad unam, & eamdem ideam, seu formaliter logicè Neg. Dist. Pariter conseq. Ergo similitudo non potest esse illud, per quod plura sint unum actualiter, & physicè, Conc. formaliter logicè, Neg.

Objic. Denique. Tota natura universalis adæquatè prædicatur de quolibet individuo; sed universale nihil aliud est, quàm ipsa singularia, sive naturæ singu-

lares omnium individuorum; ergo quàndo prædicatur natura humana universalis de Petro, omnes naturæ singulares omnium hominum de ipso prædicantur. Ac proinde ista prædicatio est falsa.

Resp. Dist. Mai. Tota natura universalis adæquatè predicatur de quolibet individuo actualiter, & physicè Neg. virtualiter, seu formaliter logicè conc. & concessâ minore Neg. Conseq. Nam quamvis sola natura Petri prædicetur de Petro actualiter, perinde est tamen in ordine ad eamdem ideam ac si omnes naturæ singulares de ipso prædicarentur. Cùm una, & eadem idea hominis tam omnem hominem collectivè, quàm quemlibet disjuntivè æqualiter repræsentare possit, & adæquatè.

CAPUT V.

Universale Platonis refellitur.

Circa universalium existentiam prima se offert opinio Platonis, qui, ut ait Aristoteles, quasdam ideas rerum omnium singularium ab iis realiter separatas admisit; ideam v. g. hominis quam solam dicebat esse per se essentialiter hominem: ita ut Petrus, & Paulus, & alii homines singulares non sint homines, nisi per imitationem, & participationem illius

ideæ. Cùm enim sciret objectum scientiæ esse necessarium, & necessariò existere; videret autem quælibet singularia perire: illas ideas separatas à singularibus, atque necessariò existentes effinxit; quamvis, ut probabilius est, nullas ideas separatas, nisi in mente Divinâ, admiserit. Sed quomodòcumque sit, hæc opinio est falsa.

Probatur. Quia universale est unum in multis, & unum prædicabile de multis; atqui illæ ideæ separatæ à singularibus, sive in mente Divinâ considerentur, aut ubicumque volueris, non sunt in multis, nec possunt inesse multis, aut prædicari de multis: Ergo non sunt universales.

Prob. Min. Quia idea quæcumque separata non potest simul inesse multis singularibus; & esse separata realiter à singularibus: hoc enim implicat contradictionem. Vel igitur erit in singularibus identificata, & sic erit singularis, & corruptibilis: vel erit à singularibus separata, & sic nec simul inesse multis singularibus; neque de ipsis prædicari poterit.

CAPUT VI.

Universale Nominalium refellitur.

Sicut Platonici universale à parte rei extra singularia agnoscunt: Ita Nomina-

les solos conceptus, & voces esse universales contendunt. Nam idea hominis, inquiunt, omnes homines repræsentare potest; & illa vox homo omnem hominem significare. Sed refellitur hæc opinio sequentibus rationibus.

1°. Enim voces, & conceptus non sunt universale in essendo, nec in prædicando, ut patet, sed tantùm in repræsentando, & significando: ergo non sunt universale, de quo nunc agitur. Cùm universale definiatur, unum in multis, & unum aptum prædicari de multis.

Prob. Ant. Quia idea hominis v. g. neque multis hominibus inest, neque de ipsis prædicari potest. Neque enim dici potest quod Petrus sit idea hominis, ut manifestum est: neque scientia est de rerum ideis, sed de earum naturis. Scientia enim rerum naturas considerat, non ideas: cùm idea sit ipsamet scientia.

2°. Quia scientia est de rebus necessariis dumtaxat, non autem de contingentibus; nam de contingenti non datur cognitio certa per discursum, sed per sensuum evidentiam tantùm: atqui nihil est magis contingens, quàm ipsa idea, vel conceptus, qui ab intellectu effingitur; ergo neque conceptus, neque voces sunt universale, de quo agitur, quod scilicet est objectum scientiæ.

Respondent Nominales. Voces prædicantur de multis, & conceptus sunt objecta scientiarum, quatenus supponunt formaliter pro rebus per voces significatis, vel per conceptus repræsentatis.

Sed contra. Ergo non voces, neque conceptus, sed res ipsæ, quas voces significant, & conceptus repræsentant, sunt universales.

CAPUT VII.

Universale Thomistarum refellitur.

RElictis Platonicis, & Nominalibus incidimus in Thomistas, qui magno distinctionum, ac præcisionum apparatu non solùm ad universalis fabricationem per mentis operam; verùm etiam ad illius propugnationem se accingunt non meliorem præ cæteris fortunam sortituri.

Dicunt itaque Thomistæ nullum dari à parte rei universale, sed omnia esse singularia, & contingentia; neque rerum naturas distingui realiter à singularibus, sed tantùm virtualiter: atque ita nullum esse universale nisi intellectus abstrahat rerum naturas ab earum differentiis individuantibus; sicque illis tribuat formam universalis. Id est, nisi intellectus consideret v. g. hominem præcisè non considerando dif-

ferentias numericas, per quas ad singularia contrahitur, & in ipsis multiplicatur: non considerando, scilicet, quod sit hic, vel ille homo, Petrus, vel Paulus, sed abstrahendo, ut aiunt, ab hecceitate, Petreitate, & Pauleitate.

Cùm enim homo, inquiunt, multiplicetur per differentias, sive unitates numericas; si sine differentiis numericis concipiatur, necesse est ut sit unus homo, sive una natura humana unitate universali: quæ cùm nihil aliud sit quàm naturæ omnes abstractæ à singularibus quibusque hominibus; necesse est etiam ut sit apta inesse omnibus, & singulis hominibus, atque de ipsis prædicari. Quàpropter juxta eorum opinionem universale materiale, seu fundamentale est à parte rei illa similitudo singularium, sive unitas virtualis: universale verò formale est illa unitas formalis, quam tribuit intellectus naturis singularibus, dum eas concipit per modum unius naturæ, non considerando earum differentias individuantes.

Per quem verò actum intellectûs fiat universale magna est inter eos controversia; quod magnum est falsitatis indicium. Alii namque asserunt fieri universale per abstractionem intellectûs agentis, cujus officium est, inquiunt, denudare phantasmata à conditionibus individuantibus. Ita

ut species, sive idea, quæ repræsentabat hunc hominem singularem, repræsentet tantùm hominem præcisè, & secundùm se, sicque illum constituat in ratione universalis.

Alii contendunt universale resultare in naturâ per abstractionem præcisivam intellectûs possibilis, quâ præcisione natura sine conditionibus individuantibus directè repræsentatur.

Quamvis autem multi quoad hoc conveniant; adhuc tamen inter illos est controversia circa actum, quo fit universale. Quidam enim existimant fieri universale per simplicem comparationem intellectûs possibilis, seu passibilis, vel patientis, quâ intellectus reflectendo super naturam jam abstractam, comparat illam cum inferioribus, & cognoscit esse aptam inesse illis.

Quidam fieri asserunt per comparationem compositam, quâ intellectus non solùm comparat naturam cum suis inferioribus: sed etiam illis eam attribuit per actualem prædicationem.

Alii denique nullam comparationem esse necessariam contendunt. Singulas autem hujusmodi opiniones refellere per singula videtur inutile. Quàpropter satis erit si illud, in quo omnes conveniunt, falsum esse demonstraverimus, nimirum, posse concipi omnes homines, ut unum hominem, vel

omnes naturas humanas ut unam naturam; quod sic probo.

Quamtumvis intellectus concipiat omnes naturas humanas singulares, vel omnes homines sine differentiis individuantibus; non efficit ut omnes naturæ humanæ sint una natura humana, vel omnes homines unus homo, ut patet: sed erit conceptus falsus; nam omnes homines non sunt unus homo. Fallitur enim intellectus quotiescumque concipit aliquid aliter, quàm sit. Possunt quidem concipi omnes naturæ humanæ non concipiendo clarè earum differentias; sed eas concipere positivè ut unam naturam hoc est impossibile, ut manifestum est, neque id necessarium est ad constitutionem universalis, ut jam probavimus.

Confirmatur. Quia quando concipis omnes homines ut unum hominem, vel omnes naturas humanas ut unam, vel tuus conceptus est verus, & conformis objecto, vel falsus & difformis objecto; si verus sit, ergo omnes naturæ humanæ sunt à parte rei una natura humana, & omnes homines unus homo, & sic datur universale à parte rei; si verò tuus conceptus est falsus, ergo falsa quoque erit illa unitas naturæ. Scientiæ autem non indigent conceptibus falsis, ut manifestum

est, nec objectum scientiæ potest esse falsum, aut fictitium.

Præterea. Si omnes naturæ humanæ concipiantur ut una natura humana, non solùm conceptus erit falsus, sed etiam natura sic concepta erit ens rationis chimæricum: atque ideo nec multis inesse, nec de multis prædicari poterit, nec esse objectum scientiæ, nec universale.

Probatur autem quod esset ens chimæricum quia ens chimæricum est non ens conceptum per modum entis. Per non ens hîc intelligitur quod implicat contradictionem in suo conceptu, vel quod nullo modo existere potest, etiam divinitùs. Quando itaque concipitur non ens hujusmodi per modum entis, ut, scilicet, aliquid existens, vel potens existere; tunc fit ens rationis chimæricum. Atqui implicat contradictionem quod omnes homines sint actualiter, & absolutè unus homo à parte rei; nec etiam divinitùs id fieri potest: vel quod omnes naturæ humanæ sint una natura humana; ergo si concipiantur omnes homines ut unus homo actualiter, & absolutè vel omnes naturæ humanæ ut una natura humana, fiet ens rationis chimæricum, ut perspicuum est. Quod quidem impossibile esse jam demonstravimus.

Dices. Ens rationis chimæricum fit quando concipitur non ens per modum

entis sine fundamento in re. Atqui est fundamentum in re, quando concipiuntur omnes homines, ut unus homo; & omnes naturæ humanæ ut una natura humana: Cùm enim similes sint, sunt virtualiter unus homo, quatenus illa similitudo præbet fundamentum intellectui concipiendi omnes homines, ut unum hominem.

Sed contra. Similitudo non potest esse fundamentum concipiendi omnes homines ut unum hominem. Neque enim concipi possunt ut similes, nisi concipiantur ut actualiter, & absolutè plures: ergo similitudo est potiùs fundamentum ut concipiantur omnes homines ut plures, quàm ut concipiantur ut unus.

Confirm. Quia contradictio est maximum fundamentum distinctionis; atqui implicat contradictionem quod omnes homines sint actualiter, & absolutè unus homo: ergo nullum est fundamentum ut concipiantur ut unus homo; sed potiùs est maximum fundamentum ut non concipiantur ut unus homo absolutè.

Dices. Sunt virtualiter unus homo, quia similes sunt: ergo possunt concipi ut unus homo.

Resp. Sunt virtualiter, & relativè unus homo; quatenus cùm similes sint unâ ideâ repræsentari possunt: actualiter autem, & absolutè sunt plures. Unde possunt con-

cipi ut plures unâ ideâ repræſentabiles; non autem concipi ut unus. Id enim implicat contradictionem.

Idem denique demonſtratur ex proprietatibus univerſalis. Nam univerſale eſt neceſſarium, & incorruptibile; atqui univerſale Thomiſtarum non eſt neceſſarium. Nam, ut ipſi fatentur, ſingularia omnia, quæ ſunt univerſale materiale, ſeu fundamentale, ſunt contingentia; illa quoque unitas univerſalis, in quâ conſiſtit univerſale formale, eſt etiam contingens: quia fit per intellectum. Cùm nihil ſit magis contingens, quàm actus intellectûs, qui modò eſt, & modò non eſt; ergo totum illud univerſale eſt merè contingens: ac proinde non eſt univerſale.

Dices. Unitas, quam intellectus tribuit omnibus hominibus ſingularibus quatenus illos cogoſcit, ac ſi eſſent unus homo, non eſt unitas ſingularis; quia per illum actum nullum individuum in particulari cognoſcitur, ſed omnia confusè: ergo eſt unitas univerſalis

Reſp. Nullam poteſt intellectus tribuere unitatem omnibus hominibus quatenus illos confusè cognoſcit: nam omnes homines ſive clarè, ſive confusè cognoſcantur, ſunt plures.

Quidam Recentiores Philoſophi aſſerunt univerſale eſſe totum à parte rei,

atque omnes homines esse virtualiter unum, quatenus possunt concipi ut unus homo. Sed est eadem difficultas: cùm nullo modo concipi possint ut unus homo. Ut jam demonstratum est. Possunt quidem concipi ut plures unâ ideâ repræsentabiles, quia reverà ita se habent à parte rei; Sunt enim actualiter, & absolutè plures, & relativè tantùm ad unam ideam, seu formaliter logicè unus. Sicut unum, & idem absolutè indistinctum distinguitur formaliter logicè, seu relativè quatenus pluribus dicis distinctis, & inadæquatis repræsentabile est.

CAPUT VIII.

Universale Scotistarum refellitur

CUm Scotus videret naturam, quæ à parte rei non est unversalis, non posse concipi ut universalem, nisi falsò; nec intellectum posse tribuere universalitatem naturis singularibus ex eò, quòd eas conciperet sine earum differentiis individuantibus: quamvis enim natura, quæ non est universalis, concipiatur ut universalis; non ideo erit universalis, ut patet; sed potiùs intellectus decipietur. Ipse aliam excogitavit opinionem, quæ cum suâ distinctione formali ex naturâ rei

convenit, nimirum quod, quamvis natura, quæ dicitur universalis, sit à parte rei contracta per differentias individuantes; ita ut sit à parte rei, seu realiter singularis: est tamen formaliter ex naturâ rei universalis. Ita ut si concipiatur sine differentiis individuantibus, non fiat universalis ab intellectu sic concipiente: sed potiùs inveniatur formaliter ex naturâ rei universalis, seu communis.

Sed hæc opinio nullo modo concipi potest; quod, scilicet, eadem realis entitas, seu natura sit à parte rei singularis simul, & universalis formaliter ex naturâ rei absolutè loquendo. Quàpropter non mirum si ab illius discipulis variè intelligatur, vel potiùs non intelligatur. Refellitur autem hæc opinio sequentibus rationibus.

Implicat idem simul esse unum & non esse unum unitate absolutâ à parte rei; atqui si natura quæcumque esset universalis formaliter ex naturâ rei; illa esset una, & non esset una unitate absolutâ à parte rei: ergo implicat naturam quamcumque esse universalem formaliter ex naturâ rei eo modo, quo intelligitur à Scotistis.

Probatur Min. Quia universale est unū in multis, sive unum, & multa; atqui unum, & multa sunt unum, & non unum: ergo si natura quæcumque esset universalis formaliter ex natura rei, illa esset una &

non esset una unitate absolutâ. Non enim intelligunt Scotistæ unitatem universalem esse unitatem relativam dumtaxat, sed absolutam.

Confirm. Implicat contradictionem quod omnes homines formaliter ex naturâ rei sint unus homo; atqui si natura hominis esset universalis formaliter ex naturâ rei, omnes homines essent formaliter ex naturâ rei unus homo: ergo implicat contradictionem quod natura hominis sit formaliter ex naturâ rei universalis.

Prob. Min. Quia si natura hominis esset formaliter ex naturâ rei universalis, una, & eadem esset formaliter ex naturâ rei in omnibus hominibus; ergo omnes homines essent formaliter ex naturâ rei unus homo.

Dices. Id non sequi, quia eadem natura ut est in Petro contrahitur ab hecceitate, vel unitate numericâ Petri, & ut est in Paulo contrahitur ab unitate numericâ Pauli; & ideo sunt duo homines, & non unus homo.

Sed contra. Quamvis eadem natura humana supponeretur contrahi per duas unitates numericas, non possent tamen esse duo homines: sed ad summùm unus homo cum duabus differentiis numericis. Quemadmodùm tres personæ divinæ non sunt tres Dii, sed unus Deus cum tribus personalitatibus numericè distinctis.

His pressi angustiis quidam recentiores Scotistæ dicunt non ita intelligendam esse opinionem Scoti, quod, scilicet, natura sit positivè universalis: ita ut sit formaliter in omnibus individuis. Sed quod natura humana v. g. priùs naturâ, quàm contrahatur ad inferiora, sit formaliter ex naturâ rei indifferens, ut sit in Petro, vel in Paulo.

Sed contra. Si natura humana priùs naturâ, quàm contrahatur, sit formaliter ex natura rei indifferens, ut sit in Petro, vel in Paulo, ea distinguitur realiter ab individuis; ita ut possit ab illis separari: ergo poterit Deus naturam Petri transferre in Paulum, & naturam Pauli in Petrum, & animalitatem leonis in hominem, & animalitatem hominis in leonem; quod quantùm sit absurdum nemo non videt. Cùm natura humana Petri nihil aliud sit, quam corpus, & anima Petri simul unita, quæ nullo modo possunt nequidem Divinitùs esse corpus, & anima Pauli, ut patet.

Quamvis autem concederetur naturam Pauli priùs naturâ fuisse indifferentem, ut esset in Petro, vel Paulo, inde non sequeretur quod esset universalis. Nam ad universale non sufficit quod possit esse in hoc, vel in illo individuo disjunctivè, sed requiritur ut sit, vel possit esse in om-

nibus copulativè. Quâpropter natura hoc modo indifferens quidem esset ut hoc, vel illo modo esset singularis, non tamen universalis esset, ut manifestum est.

Dices. Quamvis Petrus, & Paulus non sint unum vnitate numericâ, sunt tamen à parte rei unum formaliter in naturâ humanâ; sed hoc sufficit ad vuniversale: ergo datur vniversale à parte rei secundùm mentem Scoti.

Resp. Petrus, & Paulus sunt quidem unum in naturâ humanâ formaliter logicè unitate, scilicet, relativâ ad unam, & eamdem ideam, quâ repræsentari possunt, non autem formaliter ex naturâ rei unitate, scilicet, absolutâ. Alia est enim natura Petri, & alia natura Pauli, quæ cùm similes sint, atque unâ, & eâdem ideâ repræsentari possint; ideo sunt formaliter logicè una natura unitate, scilicet, relativâ ad unam, & eamdem ideam, id est, sunt plures naturæ unâ ideâ repræsentabiles. Sed de universali in communi satis; nunc ad species universalis progrediamur.

CAPUT IX.

De genere.

GEnus *est universale, quod multis inest specie differentibus ut quid essentiale*

incompletum, Proprium generis est quod sit prædicabile de multis specie differentibus in quid incompletum secundùm essentiam; ex eò enim quod pluribus inest specie differentibus sequitur necessariò quod sit prædicabile de illis.

Potest etiam aliter definiri genus *id, per quod multa specie differentia sunt formaliter logicè unum incompletè secundùm essentiam*. Vel quod idem est, *id per quod multa specie differentia similia sunt in completè* secundùm essentiam.

Objic. 1°. Omnis definitio constat genere, & differentiâ; ergo si genus definiatur, dabitur genus generis, quod videtur absurdum.

Resp. Neg. Conseq. Non enim absurdum est quod idem sit genus, & species diverso respectu. Nam genus est respectu inferiorum specierum de quibus prædicabile est; & species est respectu universalis. Cùm sit quædam species universalis.

Objic. 2°. Aggregatum per accidens non potest una definitione definiri; sed genus est aggregatum per accidens; nam multa singularia comprehendit; ergo genus non potest definiri.

Resp. Dist. Min. Genus est aggregatum per accidens physicè Conc. logicè nego. & Neg. Conseq. Nam multa sin-

gularia, etiamsi ea sint physicè multa, sunt tamen essentialiter, atque formaliter logicè unum ens. Cùm sint essentialiter similia, & non per accidens.

Hîc assignatur aliqua proprietas generis quæ non de genere, sed de ideâ generis intelligenda est: ut in logica demonstravimus, scilicet quod genus contrahitur ad speciem, si de specie prædicetur, & ad individuum, si de individuo prædicetur. Neque enim, cùm genus sit prorsus idem à parte rei cum speciebus, & individuis, potest contrahi ad speciem, vel ad individuum ex eò quod actualiter de illis prædicetur. Sed idea generis prædicatione mentali conjungitur cum ideâ speciei, vel individui, atque sic conjuncta contrahitur. Quia non potest quandiu est conjuncta cum una specie alias species repræsentare, vel alia individua, quandiu est conjuncta cum idea singulari alicujus individui.

Quæritur 1°. Utrum genus necessariò requirat plures species actu existentes, vel tantùm possibiles, sive per potentiam naturalem in rebus existentem, sive per potentiam supernaturalem, quæ dicitur non repugnantia, seu possibilitas Metaphysica.

Resp. Cùm essentia generis sit quod multis insit specie differentibus; (neque enim prædicabile esset de multis specie dif-

ferentibus, nisi illis inesset) universale autem nihil sit præter individua: genus necessariò requirit plura individua specie differentia; ut patet ex ejus definitione. Verum quidem est quod non requirit individua specie diversa in singulari existentia; sed in specie dumtaxat, & in universali: id est, non requirit ut hic, & nunc hæc, vel illa simul existant individua specie differentia; sed ut necessariò existant indeterminatè sine respectu ad locum, aut tempus determinatum. Sic plures necessariò existunt flores specie differentes in universali; quia necesse est existere flores in rerum naturâ: non tamen hos, vel illos, neque hîc, & nunc, sed indeterminatè. De possibilibus autem non inquirit Philosophus; neque enim rerum possibilium scientiam inquirit; sed earum dumtaxat, quæ sunt in rerum naturâ.

Objic. Tota ratio essentialis animalis reperitur in homine, ergo genus non requirit necessariò plures species.

Resp. Dist. Ant. Tota ratio essentialis animalis, ut animal est, reperitur in homine, Conc. ut genus est neg. Nam ratio essentialis animalis, ut est genus, est quod insit pluribus specie differentibus.

Quæritur 2°. Utrum genus referatur immediatè ad species, vel ad individua.

Resp. Cùm genus sit prædicabile de mul-

tis ſpecie differentibus); ut genus eſt immediatè refertur ad ſpecies, ſive ad individua ſpecie diverſa, quatenus ſpecie differunt.

CAPUT X.

De ſpecie.

CUm, ut jam dictum eſt in Logicâ, duplex ſit ſpecies, alia, ſcilicet, ſubjicibilis, quæ uno tantùm nomine vulgato confusè exprimitur, *ut homo, leo, animal*; alia prædicabilis, quæ duobus, aut pluribus nominibus clarè exprimitur, ſcilicet, per genus, & differentiam, ut *Animal-rationale, vivens ſenſitivum*, utriuſque definitionem hic aſſignare neceſſarium eſt.

Species ſubjicibilis *eſt univerſale, quod multis ineſt ſolo numero differentibus ut quid eſſentiale, & quod ſubjectum eſſe poteſt in propoſitione Logica univerſali.* Sic *homo* eſt ſpecies ſubjicibilis; quia multis ineſt ſolo numero differentibus ut quid eſſentiale, atque ſubjectum eſſe poteſt in propoſitione Logica univerſali. Ut in hâc propoſitione (*omnis homo eſt ſenſitivus.*)

Proprium ſpeciei ſubjicibilis eſt quod ſit tantùm ſubjicibilis generi, differentiæ, ſpeciei prædicabili, & proprio, ut ſpecies ſubjicibilis eſt.

Species autem prædicabilis definitur

universale, quod multis solo numero differentibus inest, atque de ipsis prædicabile est ut quid essentiale in propositione logica universali. Ut Animal rationale, quod de omni homine prædicabile est.

Objic. Terra, Sol, & Luna, sunt veræ species, quamvis non possint prædicari nisi de unico individuo: Ergo malè definitur species *universale de multis solo numero differentibus prædicabile*.

Resp. Neg. Ant. Nam Terra, Sol, & Luna, sunt entia singularia de nullo prædicabilia; atque ideo non possunt esse species.

Instabis. Non datur scientia de singularibus; atqui datur scientia de Terra, Sole, & Lunâ, ergo Terra, Sol, & Luna sunt species.

Resp. Dist. Mai. Non datur scientia de singularibus contingentibus Conc. de singularibus necessariis quoad eorum naturam, & proprietates, quæ sensibus clarè non percipiuntur, nego, & concessâ minore, Neg. Conseq. Nam Terra, Sol, & Luna sunt singularia necessaria: quia nullum est agens naturale tantæ virtutis, aut potentiæ, quod possit ea destruere.

Urgebis. Multi Soles sunt possibiles, & multæ terræ, & multæ Lunæ, ergo potest ab ipsis abstrahi ratio speciei,

Resp. Possibilium naturam, & proprietates

tates non inquirit Philoſophus ; ſed eorum dumtaxat, quæ in rerum naturâ neceſſariò exiſtunt. Atque ita fruſtra abſtraheretur ratio ſpeciei à poſſibilibus, cùm hujuſmodi ſpecies non exiſteret ; niſi ad probandam illius poſſibilitatem tantùm.

Hinc vides quid ſit reſpondendum Thomiſtis, qui dicunt tot eſſe ſpecies Angelorum, quot ſunt Angeli : ita ut etiam divinitùs non poſſint eſſe duo Angeli ejuſdem ſpeciei. Dicunt nihilominùs poſſe abſtrahi rationem ſpeciei à quolibet Angelo ; ita ut natura v. g. Archangeli Gabrielis prout præciſa à ſuâ differentiâ individuali, ſit indifferens ad multa individua, atque poſſit contrahi per illa, ſi eſſent poſſibilia.

Reſp. 1°. Nulla poteſt aſſignari ratio, cur duo, vel plures Angeli non poſſint eſſe ſimiles in naturâ Angelicâ.

Reſp. 2°. Quod, cùm univerſale nihil aliud ſit, quàm multa ſingularia quatenus ſunt formaliter logicè unum, ſive relativè ad unam, & eamdem ideam, quâ repræſentari poſſunt ; manifeſtum eſt ubi impoſſibilia ſunt multa individua ſimilia, impoſſibile eſſe univerſale.

Reſp. 3°. Suppoſito quod impoſſibilia ſint hujuſmodi individua, illam ſpeciem ſic abſtractam eſſe ens rationis chimæricum. Natura enim Archangeli Gabrielis ſic abſtracta eſſet indifferens, &

non esset indifferens ad multa individua. Esset indifferens ex suppositione, & non esset indifferens ad multa individua. Cùm enim supponantur impossibilia, nulla esse potest indifferentia, vel possibilitas ad ea, quæ impossibilia sunt. Nam correlativa se mutuò ponunt, & se mutuò tollunt; ut manifestum est. His adde quod impossibile prorsus est quod unius Angeli natura sit natura plurium Angelorum, nisi formaliter logicè tantùm, ut explicavimus.

Objic. Contra definitionem speciei prædicabilis. Species prædicabilis est universale de solo numero differentibus prædicabile; sed *vivens sensitivum* est species prædicabilis, & tamen non est prædicabilis de solo numero differentibus: nam prædicabilis est de homine, & leone, qui specie differunt; ergo malè definitur species prædicabilis.

Resp. Neg. Min. Quando enim prædicatur ut *species* non prædicatur de homine, & leone tanquam specie differentibus; sed tamquam solo numero differentibus, dicendo scilicet *Hoc animal est vivens sensitivum*, vel *Omne animal est vivens sensitivum*; non considerando scilicet quod sit *homo*, vel *leo*, sed tantùm quod sit *animal*.

CAPUT XI.
De Differentiâ.

DIfferentia *est universale, quod multis inest solo numero differentibus ut quale essentiale.* ut v. g. *Rationale* respectu hominis. Hæc est definitio Metaphysica. Proprium verò differentiæ est quod sit universale prædicabile de multis solo numero differentibus in quæstione quale quid, seu quale essentiale. Quia verò differentiæ infimæ pluribus sunt ignotæ, vel uno nomine exprimi non possunt.

Quæritur 1°. Utrum dentur differentiæ infimæ simplices, sicut dantur mediæ. Nam *sensitivum* est differentia simplex animalis, & *vivens* est differentia simplex plantæ. Hîc autem non quæritur utrum differentia sit aliquid simplex. Nam certum est quod entis compositi differentia, & proprietates sunt compositæ. Sed utrum cujuslibet speciei infimæ sit una tantùm differentia, per quam differat ab omni aliâ eidem generi immediatè subjectâ.

Resp. Dantur differentiæ infimæ simplices. Sic *rationale* est differentia simplex hominis, & *disgregativum luminis* est differentia simplex albedinis: licet uno tantùm nomine non exprimatur. Sic denique cujuslibet speciei animalis simplex differentia est certa quæ-

dam organorum dispositio, seu temperamentum, per quod unum est rugibile, ut leo, aliud hynnibile, ut equus, quæ sunt proprietates fluentes à speciali organorum dispositione. Unde manifestum est dari differentias infimas simplices; quàmvis in variis animalium definitionibus non adhibeantur. Quia videlicet specialis illa organorum dispositio breviter, & clarè exprimi non potest, clara enim, & brevis esse debet omnis definitio. Quàpropter cùm proprium cujuslibet animalis clarè, & breviter exprimi possit, in hujusmodi definitionibus proprium inservit loco differentiæ.

Objic. Porphirius in definitione speciei infimæ semper affert plures differentias, quàrum quælibet latiùs patet specie definitâ; simul autem soli speciei conveniunt. Ut cùm definit hominem *Animal rationale mortale.* Nam *rationale* convenit Deo, & Angelis, & hominibus, *mortale* verò omnibus animalibus, utrumque autem simul soli homini convenit.

Resp. Porphirius hoc modo definivit hominem, quia Deum, & Angelos esse animalia rationalia credidit: & in aliis definitionibus, in quibus plures differentias adhibuit, veram differentiam ignoràvit.

Instabis. Per *rationale* homo non potest differre ab Angelis; cùm ij sint rationales:

non potest quoque ab illis differre per genus, seu per *animal*; quamvis Angeli non sint animalia. Nam quælibet species non differt ab aliâ per genus, sed per differentiam. Ergo Porphirius optimè definivit hominem *animal rationale mortale*.

Resp. Neg. Ant. Nam quando *rationale* prædicatur de homine, non prædicatur *rationale* nisi per ordinem ad sensus, & phantasmata: quæ differentia non potest Angelis competere. Aliàs verùm quidem est quod quælibet species differt ab aliâ non per genus, sed per differentiam, sed cùm aliæ sint differenriæ infimæ, sicut species, aliæ mediæ, aliæ superiores: quælibet species non differt immediatè ab omnibus aliis per differentiam infimam; sed à quibusdam, ab iis scilicet, quæ sunt sub eodem genere infimo, ab aliis verò, quæ sunt sub genere medio, vel superiori differt immediatè per differentiam mediam, vel superiorem. Sic *homo* differt immediatè à Brutis per *rationale*, per *sensitivum* differt immediatè à plantis, non autem per *rationale*; per *vivens* differt immediatè à lapidibus, non autem per *sensitivum*; & per *corporeum* differt immediatè ab Angelis.

Quæritur 2°. Utrum differentia inferior includat formaliter superiorem ut *rugibile* sensitivum. Hæc autem quæstio ideo proponitur, quia cùm omnis propositionis

prædicatum debeat esse clarius subjecto, si differentia inferior includeret formaliter superiorem, subjectum esset æquè clarum, ac prædicatum, si enim v. g. cùm dico *Omne rugibile est sensitivum*, rugibile includeret formaliter *sensitivum*, id est, si idea *rugibilis* clarè repræsentaret *sensitivum*; illa propositio esset idemtica, & nugatoria.

Resp. Quamvis differentia inferior includat realiter, & physicè omnes differentias superiores; sicut omnes gradus Metaphysici inferiores includunt realiter superiores, atque una sunt, & eadem realis entitas; differentia tamen inferior, & quilibet gradus Metaphysicus inferior non includit formaliter Logicè superiorem, id est, perinde se habet in ordine ad nostrum imperfectum concipiendi modum, ac si realiter non includeret; ita ut idea differentiæ inferioris non repræsentet clarè differentiam superiorem, sed tantùm confusè. Idea v. g. *rugibilis* non repræsentat clarè *sensitivum*, sed confusè dumtaxat. Omnis enim ratiocinatio fit ut ex ideâ, vel cognitione confusâ alicujus objecti ad ejusdem objecti claram cognitionem deveniamus. Hîc autem nulla fieri potest objectio præter eas, quæ jam solutæ sunt, dum de distinctione formali Logica egimus.

Quæritur 3°. Quo sensu dicatur quod genus sumitur à materiâ, & differentia à

formâ. Nam Thomistæ volunt hoc universaliter intelligi.

Resp. In rebus corporeis, quæ habent materiam distinctam realiter à formâ, & quando physicè definiuntur per partes essentiales physicas realiter distinctas; ut cùm definitur *homo* (*compositum ex corpore, & animâ rationali*) Leo etiam definitur (*compositum ex corpore & anima rugibili*) manifestum est tunc genus sumi à materiâ, & differentiam à formâ. Quando verò res sunt simplices, vel spirituales; vel si fuerint corporeæ, & compositæ Metaphysicè definiuntur, scilicet, per diversos conceptus ejusdem rei; tunc à totâ essentiâ æquè sumitur genus, ac differentia: Ita tamen ut conceptus generis sit universalior conceptu differentiæ, ut per se patet. Cùm genus, & differentia nihil aliud sint Metaphysicè spectata, quàm una, & eadem essentia indivisibiliter, & diversimodè considerata.

CAPUT XII.

De Proprio.

NOmen proprii sumitur dupliciter. 1°. enim sumitur pro quarto universali, seu quarto prædicabili, & tunc simpliciter dicitur proprium, vel proprium quar-

to modo, id est, quarto modo prædicabile.

2. Sumitur pro accidente quod omni, & soli convenit speciei, sed non semper, ut ratiocinatio homini, hynnitus equo, & rugitus Leoni: Nam ratiocinatio omni quidem, & soli convenit homini, sed non semper. Et tunc dicitur accidens proprium, ut distinguatur ab accidente communi, quod scilicet, neque omni, neque soli convenit speciei, nec semper. Ut *albedo* non omni convenit homini, multi enim sunt homines nigri; neque soli convenit homini, cùm multa sint alia præter hominem alba; neque semper convenit homini, nam homo albus aliquando fit niger, aut alterius coloris. Hîc itaque agitur de proprio in primâ significatione, de quarto scilicet universali.

Proprium igitur *est universale, quod multis inest solo numero differentibus ut quale necessariò fluens ab essentiâ.*

Proprium proprii est 1°. Quod sit universale de multis solo numero differentibus prædicabile in quæstione quale necessariò fluens ab essentiâ. 2°. quod omni, & soli speciei semper conveniat; & cum eâ reciprocetur. Ut *risibile* omni, & soli homini semper convenit, ac de homine reciprocè prædicatur: ut *Omnis homo est risibilis, & Omne risibile est homo.*

Objic. 1°. Sicut datur differentia generi-

ea, ita datur proprium genericum; ergo malè definitur proprium *universale de solo numero differentibus prædicabile*, *vel quod multis inest solo numero differentibus*. Nam hæc definitio convenit tantùm proprio infimo.

Resp. Neg. Ant. Nam omnis differentia, ut differentia est, & omne proprium, ut proprium est, de sola specie, ut species est, vel quod idem est, de solo numero differentibus prædicari possunt. *Sensitivum* v. g. quod est differentia animalis, de animali tantùm prædicatur, ut differentia est, vel de omni animali, quatenus non considerantur animalia specie differentia. Et ideo quando prædicatur de animalibus specie differentibus v.g. de omni homine,& de omni Leone, tunc non prædicatur ut differentia, sed ut quid commune,seu genus. Sic unum, verum, Bonum sunt proprietates entis; & quodlibet prædicatur de ente ut proprium est; quando verò prædicatur de inferioribus speciebus analogis entis, jam non prædicatur ut proprium; sed ut quid commune, seu genus analogum: quæ enim sunt propria generi omnibus speciebus inferioribus communia sunt; atque ideo legitima est definitio. Hinc vides *sensitivum* non esse differentiam hominis,ut homo est, sed ut animal est,& ut differt à plantis. Sic

unum non est proprium hominis, ut homo est, sed ut ens est.

Objic. 2. Proprium substantiæ est quod per se subsistat, & aquæ quod sit frigida; atqui non omnis substantia per se subsistit, nec omnis aqua est actualiter frigida: ergo malè dicitur proprium quod omni, & soli speciei semper convenit.

Resp. Neg. Mai. Nam proprium substantiæ non est quod actualiter per se subsistat; sed quod possit, vel exigat per se subsistere; ut videbimus dum de subsistentia: nec proprium est aquæ quod sit actu frigida; sed tantùm potentiâ, vel exigentiâ.

CAPUT XIII.

Præcedentis capitis Corollarium.

HÆc itaque sunt quatuor universalia, seu quatuor scibilia formalia de qualibet specie, & de quolibet ente scibili; sive illud sit substantia, aut accidens. Nam quamvis accidens sit universale respectu sibi inferiorum accidentium, putà quantitatis, albedinis, vel nigredinis, & aliorum accidentium, de quibus prædicabile est universaliter vel ut genus, vel ut differentia, vel ut species prædicabilis, aut proprium; non est tamen universale ut inest subjecto physico, seu substantiæ:

quia non inest substantiæ necessariò, neque de ipsâ est necessariò, aut universaliter prædicabile; ut diximus in logicâ.

Cùm enim omne universale sit objectum scientiæ, atque omne objectum scientiæ sit necessarium; accidens autem sive proprium, sive commune non sit necessarium subjecto physico, seu substantiæ, ut patet ex ejus vulgatâ definitione: nam vulgò definitur accidens, *quod potest adesse, & abesse sine subjecti corruptione*; quamvis enim homo desinat esse albus, non tamen desinit esse homo; idcirco accidens neque objectum scientiæ esse potest, neque quintum universale constituere, ut est prædicabile de substantia.

Hinc quia accidens non est universale, ut est prædicabile de substantiâ, non potest esse sub illâ ratione prædicatum propositionis universalis; quod tamen omni termino universali essentialiter convenit. Nam omnis terminus universalis *est illud, ex quo fieri potest propositio universalis*. Propositio autem universalis nulla est præter eam, cui præfigitur signum universale, *omnis*, vel *nullus*, ut patet ex vulgatâ propositionis universalis definitione. Unde si dicatur, *Omnis homo est doctus*, vel *Omnis homo est pius*, illa propositio erit simpliciter falsa, nec erit universalis ut perspicuum est.

Objic. 1°. universale est, *quod est præ-*

dicabile de multis, sed quintum prædicabile est prædicabile de multis, nam multi homines sunt albi, vel docti, &c. Ergo quintum prædicabile est universale.

Resp. Dist. Mai. Universale est quod est prædicabile de multis universaliter sive in propositione universali Conc. non universaliter neg. Quando enim dicitur universale est prædicabile de multis, semper intelligitur quod sit prædicabile universaliter. Ut in hac propositione universali (*Omnis homo est animal*) omnes enim homines sunt multa entia, & tamen sunt omnes homines. Similiter Dist. minorem, sed quintum prædicabile est prædicabile de multis non universaliter Conc. universaliter neg. & nego consequentiam.

Objic. 2°. Non potest demonstrari quod *Omnis homo sit rationalis*, nisi per illam propositionem (*Omnis homo ratiocinatur*, ergo illa propositio (*Omnis homo ratiocinatur*) est universalis; cùm ex ipsâ sequatur propositio universalis, videlicet (*Ergo omnis homo est rationalis*. Nam ex singulari non posset sequi universale; & tamen est contingens quod omnis homo ratiocinetur. Ac proinde datur universale contingens, seu quintum universale.

Resp. Neg. Consequens. Nam illa propositio non est universalis (cùm universale sit necessariò, & simpliciter prædicabile);

neque est vera propositio si universaliter intelligatur. Multi enim sunt, qui non ratiocinantur, ut qui dormiunt, quod dici non potest de illa propositione, quæ est verè universalis *Omnis homo est rationalis*. Nam sive dormiat, sive vigilet semper est rationalis, & habet potentiam ratiocinandi.

Ad probationem conseq. Resp. Quod, quamvis ex illâ propositione (*Omnis homo aliquando ratiocinatur*) benè colligatur hæc propositio universalis (*Omnis homo est rationalis*) inde tamen non sequitur quod ipsa sit universalis. Cùm enim omnis actus necessariò præsupponat potentiam; sufficit quod omnis homo aliquando, vel semel tantùm ratiocinetur: ut inde necessariò concludatur omnem hominem esse rationalem, vel habere potentiam ratiocinandi; maximè cùm hujusmodi conclusio non deducatur ex vi antecedentis, ut universalis, seu necessaria. Ad hoc enim opus est sufficienti partium enumeratione, ut scilicet necessariò concludatur omnem hominem esse necessariò, & universaliter rationalem, ut fusiùs explicavimus in logicâ.

Caput XIV.

De Individuo.

Individuum duplici modo ſpectari poteſt, vel ſcilicet præcisè ut *individum*, quatenus nempe eſt indiſtinctum à quolibet alio: vel quatenus eſt diverſum ab omni alio. Primo modo conſideratur ut in ſe eſt, & ideo dicitur individuum formale, & intrinſecum. Secundo modo conſideratur in ordine ad cognitionem noſtram, quatenus ſcilicet poſſumus illud ut diſtinctum ab omni alio percipere.

Hujus diſtinctionis defectu factum eſt ut maximè intricata ſit quæſtio de principio individuationis, per quid ſcilicet individuum cõſtituatur formaliter in ratione individui. Tot enim ſunt hac de re opiniones, ut omnes referri vix poſſint. Alii namque ut Nominales rem quamlibet eſſe per ſe, & eſſentialiter ſingularem, & individuam aſſerunt; Thomiſtæ diſtinctionem ſpecificam à formâ, numericam autem à materiâ quantitate ſignatâ deducendam volunt. Alii ſubſiſtentiam, alii exiſtentiam; alii denique congeriem accidentium principium individuationis conſtituunt. Nos autem ſuppoſitâ, quam attulimus, diſtinctione, hanc quæſtionem

Deo dante clarè explicabimus duabus conclusionibus.

1ª. Conclus. individuum formale & intrinsecum, quatenus scilicet *est indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio* per propriam essentiam constituitur in ratione individui, quatenus ea dicit negationem idemtitatis cum omni aliâ.

Probatur Concl. per illud formaliter constituitur individuum in ratione individui per quod distinguitur ab omni alio; atqui individuum distinguitur ab omni alio per id, per quod non est aliud: per id autem non est aliud, per quod est id, quod est, id est per suam essentiam, Ergo per suam essentiam, quatenus dicit negationem idemtitatis cum omni aliâ, constituitur formaliter in ratione individui.

Confirm. Individuum & unum idem sunt; atqui unum non distinguitur ab ente realiter, sed est omnino idem à parte rei: cùm sit proprium entis, quod fluit necessariò ab illius essentiâ; ergo individuum nihil aliud est formaliter, quàm cujuslibet rei essentia, quatenus connotat negationem idemtitatis cum omni aliâ.

Hinc vides manifestè unitatem numericam non esse desumendam à materiâ, ut volunt Thomistæ, sed à totâ rei essentiâ: cùm unitas sit proprietas entis, proprium

enim non à materiâ dumtaxat, sed à totâ rei essentiâ necessariò fluit.

Hinc denique colliges rem non fieri individuam per talem congeriem accidentium, qualem in nullo alio possumus reperire; priùs enim res quælibet concipitur individua, quàm suis accidentibus ornata: & quamvis accidentia pereant, manet tamen res singularis, & individua; quia nimirum unitas fluit necessariò ab essentiâ, cum quâ realiter identificatur, non autem ipsa accidentia.

2ª. Conclusio. Individuum extrinsecè, id est, in ordine ad cognitionem nostram constituitur in ratione individui, id est, cognoscitur esse individuum, seu distinctum ab omni alio per congeriem accidentium, per quæ differt ab omni alio.

Probatur Concl. Quia individuum consideratum ut est distinctum ab omni alio, non est diversum ab omni alio, sed simile omnibus ejusdem speciei individuis; aliud est enim esse distinctum, & aliud esse diversum: sed quæ similia sunt non possunt cognosci ut distincta, nisi per aliquid diversum, diversa autem sunt cujuslibet individui accidentia dumtaxat; Ergo per accidentia diversa individuum constituitur in ratione individui in ordine ad cognitionem nostram, id est, cognoscitur esse individuum, seu distinctum ab omni alio.

Probatur Min. Experientiâ. Quia non possum cognoscere v. g. unum nummum aureum esse distinctum ab alio simili, nisi quia video unum esse in uno loco, & alium in alio: Ita ut, si unus me inscio loco alterius substitueretur, semper eumdem esse nummum aureum crederem; Ergo per accidentia diversa tantùm potest cognosci individuum.

Hoc autem ita intelligi debet, ut aliquando per unum tantùm accidens cognoscatur individuum; aliquando non possit cognosci nisi per plura. Ut cùm dico filius sanctissimæ Virginis Mariæ: tunc per unum tantùm accidens optimè cognoscitur individuum. Quando autem dico Petrus filius Pauli, qui nunc est in domo suâ tali veste indutus; si fuerit eodem tempore alius filius Pauli, qui vocetur Petrus in eadem domo simili veste indutus, per illa omnia accidentia non poterit cognosci individuum: sed opus est aliquo alio accidente, per quod sit ab omni alio diversum; quàpropter si dixero Petrus filius Pauli major, vel senior, tunc clarè demonstrabo individuum. Manifestum est igitur individuum constitui formaliter in ratione individui per suam propriam essentiam, quatenus ea dicit negationem idemtitatis cum omni alia: cognosci verò à nobis ut individuum

per accidentia diversa, per quæ differt ab omni alio.

Hinc colliges quod, quando universale aliquod dicitur de solo numero differentibus prædicabile; semper intelligitur de individuis primo modo quatenus scilicet per propriam unitatem numericam distinguuntur tantùm: sic enim speciem subjicibilem constituunt; non autem quatenus differunt per accidentia diversa. Ut videre est in hâc propositione universali (*Omnis homo est animal*) Nam idem est ac *Quilibet homo est animal*, vel *Unusquisque homo distinctus ab omni alio est animal*, non considerando scilicet quod habeat accidentia diversa v. g. quod sit hic, vel ille, id est, talis homo, in tali loco, tali tempore; sic enim non est objectum scientiæ, neque materiale, neque formale, cum sit contingens; sed objectum sensûs dumtaxat.

Objic. Ex Aristotele. *Quod est expers materiæ multiplex numero esse non potest*: ergo materia est principium individuationis.

Resp. 1°. Quidquid sit de mente Aristotelis; jam demonstravimus clare individuum per propriam essentiam constitui in ratione individui: in rebus enim philosophicis nihil solâ debet authoritate probari; sed rationis potissimùm evidentia demonstrari.

Resp. 2. Hæc verba Aristotelis nihil aliud

ſignificant, quàm quod unum, & idem numero non poteſt eſſe, ſive fieri multiplex numero, id eſt, dividi realiter in plura; niſi habeat materiam, vel quod idem eſt, niſi ſit compoſitum materiale: nam omne corpus compoſitum componitur ex pluribus partibus, ſive corporibus individuis, atque diſtinctis, ſimul unitis; in quæ dividi poteſt. Sic unum, & idem numero lignum, quia eſt individuum compoſitum, ſecatur in plura numero ligna, ex quibus componitur; nam quælibet pars ligni eſt lignum, ſeu quoddam ligni individuum aliis unitum; & ſic conceditur Antecedens: Conſequens verò diſtinguitur, Ergo materia in rebus materialibus eſt principium materiale individuationis. Conc. eſt principium formale, & totale individuationis neg. Nam cum individuatio fluat ab eſſentia, quæ non ſolùm includit materiam, ſed etiam formam: in rebus etiam materialibus neceſſe eſt ut à materiâ ſimul, & à formâ indiviſibiliter, atque totaliter deſumatur.

Hinc vides perperam concludi ex illis verbis Ariſtotelis unitatem numericam non poſſe deſumi, niſi à materiâ; atque res ſpirituales, quales ſunt Angeli, omnes inter ſe diſtingui ſpecificè, ut volunt Thomiſtæ: ita ut etiam divinitùs non poſſint creari duo Angeli ſolo numero differentes; quia nullam habent materiam.

per accidentia diversa, per quæ differt ab omni alio.

Hinc colliges quod, quando universale aliquod dicitur de solo numero differentibus prædicabile; semper intelligitur de individuis primo modo quatenus scilicet per propriam unitatem numericam distinguuntur tantùm: sic enim speciem subjicibilem constituunt; non autem quatenus differunt per accidentia diversa. Ut videre est in hâc propositione universali (*Omnis homo est animal*) Nam idem est ac *Quilibet homo est animal*, vel *Unusquisque homo distinctus ab omni alio est animal*, non considerando scilicet quod habeat accidentia diversa v. g. quod sit hic, vel ille, id est, talis homo, in tali loco, tali tempore; sic enim non est objectum scientiæ, neque materiale, neque formale, cum sit contingens; sed objectum sensûs dumtaxat.

Objic. Ex Aristotele. *Quod est expers materiæ multiplex numero esse non potest*: ergo materia est principium individuationis.

Resp. 1°. Quidquid sit de mente Aristotelis; jam demonstravimus clarè individuum per propriam essentiam constitui in ratione individui: in rebus enim philosophicis nihil solâ debet authoritate probari; sed rationis potissimùm evidentia demonstrari.

Resp. 2. Hæc verba Aristotelis nihil aliud

ſignificant, quàm quod unum, & idem numero non poteſt eſſe, ſive fieri multiplex numero, id eſt, dividi realiter in plura; niſi habeat materiam, vel quod idem eſt, niſi ſit compoſitum materiale: nam omne corpus compoſitum componitur ex pluribus partibus, ſive corporibus individuis, atque diſtinctis, ſimul unitis; in quæ dividi poteſt. Sic unum, & idem numero lignum, quia eſt individuum compoſitum, ſecatur in plura numero ligna, ex quibus componitur; nam quælibet pars ligni eſt lignum, ſeu quoddam ligni individuum aliis unitum; & ſic conceditur Antecedens: Conſequens verò diſtinguitur, Ergo materia in rebus materialibus eſt principium materiale individuationis. Conc. eſt principium formale, & totale individuationis neg. Nam cum individuatio fluat ab eſſentia, quæ non ſolùm includit materiam, ſed etiam formam: in rebus etiam materialibus neceſſe eſt ut à materiâ ſimul, & à formâ indiviſibiliter, atque totaliter deſumatur.

Hinc vides perperam concludi ex illis verbis Ariſtotelis unitatem numericam non poſſe deſumi, niſi à materiâ; atque res ſpirituales, quales ſunt Angeli, omnes inter ſe diſtingui ſpecificè, ut volunt Thomiſtæ: ita ut etiam divinitùs non poſſint creari duo Angeli ſolo numero differentes; quia nullam habent materiam.

Animas quoque rationales non distingui inter se numericè, nisi per ordinem ad materiam, sive ad corpus, quod informant, vel informare possunt. Quæ omnia, salvo semper honore sanctissimo, ac præstantissimo doctori divo Thomæ debito, non admittenda censemus, & de facto non admittimus.

Quæritur tandem. Utrum individuum sit universale, sive utrum idea, quæ unum individuum repræsentat, omne individuum repræsentare possit.

Resp. 1°. Si individuum consideretur quatenus est diversum ab omni alio, manifestum est ideam unius individui nullum alium repræsentare posse: quia quæ diversa sunt, unâ ideâ repræsentari non possunt, ut patet.

Resp. 2°. Si individuum consideretur præcisè ut unum ens distinctum ab omni alio, tunc est universale prædicabile analogum, id est, habet aliquam similitudinem universalis: cùm sit proprium entis, quod est analogum.

Objic. Individuum est universale, atqui individuum distinguitur à quatuor aliis universalibus: ergo dantur quinque universalia.

Resp. Neg. Min. Individuum enim non distinguitur à proprio, cùm sit proprium entis. *ut sic*. Nàm proprium est en-

tis *ut sic* esse individuum sive unum.

Instabis. illa proposito (*omnis homo est individuum*) est universalis; atqui non est proprium hominis esse individuum: cùm id commune sit omnibus entibus; ergo individuum est universale distinctum à proprio.

Resp Dist Min. Non est proprium hominis, *ut homo est*, esse individuum, sed genus analogum conc. non est proprium hominis, *ut ens est*, nego. & nego consequentiam.

Hinc vides quatuor dumtaxat esse universalia prædicabilia de quolibet ente scibili, vel subjicibili: sed de universalibus, & individuo satis.

PARS TERTIA METAPHYSICÆ

Proœmium.

IN hâc tertiâ parte Metaphysicæ tractabimus de cæteris entis creati differentiis, seu speciebus analogis, quæ abstrahunt à corporeo, & incorporeo, id est; quæ tam enti corporeo, quàm incorporeo conveniunt, scilicet, de substantiâ in genere, tum de accidente pariter in genere.

CAPUT PRIMUM.

De Substantiâ.

SUbstantia à substando dicitur, eò quod omnibus substet accidentibus; quæ in ipsâ percipiuntur. Cùm verò omnis cognitio nostra pendeat à sensibus, qui non nisi accidentia percipere possunt; hinc fit quod natura substantiæ parum sit philosophis perspecta: & quod ejus vera definitio difficile innotescat; unde variè definitur à multis.

1°. Enim substantia definitur ab Aristotele

in prædicamentis (*quod in subjecto non est, neque de subjecto dicitur*) sed hæc definitio est mera definitio nominis, ut dictum est in logicâ.

2°. A quibusdam definitur substantia *ens per se subsistens*, sed cùm quælibet pars hominis sit substantia; nec tamen per se subsistat, quandiu est unita, neque humanitas in Christo per se subsistat, quæ tamen est vera substantia; manifestum est quod hæc definitio, quæ omni substantiæ non convenit, non est vera sustantiæ definitio.

3°. Quidam Philosophus non ignobilis definit substantiam (*principium agens ad intra*) quæ definitio soli substantiæ viventi convenit. Quid enim agit ad intra lapis; aut arenæ granum; cum tamen veræ sint substantiæ. Quid etiam agit ad intra materia Prima, quæ est pura potentia passiva; hæc tamen est vera substantia, ut patet: ergo nec ista definitio est legitima, quæ omni substantiæ non convenit.

4°. Denique communior Philosophorum opinio est quod substantia est (*ens per se formaliter existens*) id est, verè existens. Sed præterquam quod in hâc definitione sunt aliqua superflua; ea non convenit substantiæ creatæ: sed soli Deo. Nam cùm *ens*, & *existens* sint idem, frustra ponitur *ens* in hac definitione. Prætereà cùm omnis definitio *per se formaliter* id est, verè con-

veniat definito; frustra etiam ponitur *per se formaliter*, id enim de omni definitione intelligitur: si tamen ea sit vera definitio; nihil igitur est substantia quàm *existens*, seu *quod existit*.

Sive autem definiatur substantia (*quod existit*) sive definiatur (*quod per se formaliter existit*) hæc definitio soli Deo convenit. Nam omnis definitio legitima essentialiter, & absolutè, simpliciter, & necessariò, ac per se formaliter, id est verè convenit definito. Hæc autem definitio (*quod existit*) vel *quod per se formaliter existit*) non convenit essentialiter, & absolutè, simpliciter, & necessariò substantiæ creatæ, sed soli Deo. Non enim essentialiter, & absolutè, simpliciter, & necessariò existit substantia creata, ut patet; ergo (*quod existit*) vel *quod per se formaliter existit*) non est definitio substantiæ creatæ, sed substantiæ increatæ dumtaxat. Alia est igitur quærenda definitio, quæ omni & soli substantiæ creatæ conveniat. Sit ergo.

Conclusio. Vera substantiæ creatæ definitio hæc est) *quod existit contingenter, & secundùm quid*)

Probatur Concl. Quia hæc sola essentialiter, & absolutè, simpliciter, & necessariò, ac per se formaliter omni, & soli substantiæ creatæ convenit: ut constat ex sufficienti

cienti partium enumeratione. Neque enim ulla est, aut esse potest substantia creata, quæ verè non existat contingenter, & secundùm quid; nihilque prius de substantiâ creatâ concipi potest, ut patet. Prius est enim existere quàm aliud quodcumque. Prætereà hæc definitio nulli accidenti essentialiter, & absolutè, simpliciter, & necessariò, ac per se formaliter convenit. Neque enim accidens *est illud quod existit*: sed illud *quo* substantia aliquo modo existit. Ac proindè hæc definitio omni, & soli substantiæ creatæ convenit. Quia, nimirum, sola substantia creata veram habet rationem entis creati. Accidens enim non est *ens*, sed est *entis esse*: & ideò entis creati definitio essentialiter, & simpliciter, ac per se formaliter convenit substantiæ creatæ; accidenti verò non item.

Confirmatur autem hanc esse veram substantiæ creatæ definitionem. Quia cùm ab essentiâ fluant omnes rei proprietates, definitio autem sit clara essentiæ notitia; necesse est ut ex verâ, atque legitimâ definitione omnes rei definitæ proprietates innotescant: atqui ex illa substantiæ creatæ definitione omnes illius proprietates clarè innotescunt; ergo hæc est vera, atque legitima illius definitio.

Prob. Min. Quia ex eò, quod substantia creata sit essentialiter illud, *quod exi-*

stit contingenter, *& secundùm quid*, necessariò sequitur.

1°. Quod existat per participationem, & influxum entis essentialiter, & simpliciter existentis.

2°. Quod ita existat, ut possit non existere: ac proinde non esse substantia, seu ens.

3°. Quod non possit esse in subjecto. Quia quod est in subjecto est illud, *quo subjectum aliquo modo existit*. Sed substantia est essentialiter *illud quod existit contingenter*; ergo non potest esse illud *quo* subjectum aliquo modo existit, proinde nec in subjecto esse.

4°. Quod possit existere sola, & separata ab omni aliâ, id est, in se subsistere. Cùm enim sit *illud quod existit contingenter*: nullo alio ente creato indiget ad existendum, ut patet.

5°. Quod sola pati, & sola agere possit, id est, moveri & movere jam mota, si nimirum, sola existat ab omni alia divisa, ac in se subsistat: nam *operari sequitur esse*.

6°. Denique. Quod possit esse subjectum accidentium. Nam actio, & passio sunt accidentia. Atqui hæ sunt omnes substantiæ proprietates, ut patet: ergo legitima est substantiæ creatæ definitio.

Objic. 1°. Substantia creata potest non existere: ergo non est essentia substantiæ creatæ esse *illud quod existit*.

Resp. Dist. Ant. Substantia creata potest non existere, & simul manere substantia creata nego, & non manere substantia creata Conc. Similiter Dist. Conseq. Ergo non est essentia substantiæ creatæ esse illud, *quod existit*, Conc. Non est essentia substantiæ creatæ esse *illud quod existit contingenter* neg. Impossibile est enim esse aliquam substantiam creatam, cui hæc definitio essentialiter non conveniat; quamvis, dum non existit substantia creata, ei non competat definitio. Quia nimirum, dum non existit, non est substantia, sed nihil est; & ubi non est definitum, nec definitio esse potest.

Objic. 2°. Esse, *illud quod existit contingenter*, & *non esse in alio* idem sunt; sed *non esse in alio* est negatio, quam Deus potest amovere: adeoque efficere ut substantia non sit *illud quod existit contingenter*; ergo non est essentia substantiæ esse *illud quod existit contingenter*.

Resp. concessâ Mai. Neg. Min. Neque enim Deus potest amovere à substantiâ creatâ illam negationem existendi in subjecto, quæ necessariò fluit ab illius essentia, cùm quâ realiter idemtificatur. Quamvis possit amovere ab eâ negationem accidentalem. *Animal-rationale* v. g. dicit negationem equi, & albedo dicit negationem nigredinis, Deus quidem potest amovere negationem nigredinis ab homine,

quia potest ab eo amovere albedinem, quæ est accidens: non potest autem amovere ab homine negationem equi; quia non potest amovere ab homine essentiam hominis, quæ dicit negationem equi. Cùm enim negatio nihil sit; non potest per se amoveri, sed tantùm per aliquid positivum.

CAPUT II.

De Subsistentiâ.

CUm substantia sit essentialiter *illud quod existit contingenter*, ut demonstratum est in præcedenti capite; hinc necessariò sequitur quod sola, atque ab omni aliâ divisa possit existere. Hoc autem dicitur subsistere in se. Unde manifestum est omnem substantiam posse naturaliter in se subsistere. Substantia verò quæ subsistit in se, si ea fuerit rationalis, dicitur *persona*, vel *suppositum* indifferenter: si autem non fuerit rationalis, nunquam dicitur *persona*, sed *suppositum* dumtaxat appellatur. Quia videlicet omnis quidem *persona* est *suppositum*: sed non omne *suppositum* est *persona*.

Persona definitur à Boetio *Rationalis naturæ individua substantia*, id est, *indivisa in se, & divisa à quâlibet aliâ.*

Quæ definitio optima est, atque communiter recepta.

Suppositum verò definitur (*cujuscumque naturæ individua substantia.*) Ubi notandum quod individuum duplici modo sumitur. Primò enim dicitur *indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio:* secundò dicur *indivisum in se & divisum à quolibet alio.* Primo modo est proprium entis; quod scilicet, omni enti tam substantiæ, quàm accidenti analogè convenit. Nam quodlibet ens est unum, seu individuum, id est, distinctum à quolibet alio; quatenus dicit negationem idemtitatis cum omni alio. Secundo modo soli substantiæ subsistenti convenit. Nam sola substantia subsistens non solùm est distincta, verùm etiam divisa à qualibet aliâ, neque solùm dicit negationem idemtitatis; verùm etiam negationem unionis cum omni aliâ.

Sic corpus hominis est vera substantia corporea individua seu distincta ab omni aliâ; quia tamen est unitum Animæ rationali, non est substantia divisa ad omni aliâ: quàpropter non subsistit in se, neque dici potest *individuum* in eo sensu, quo *individuum* dicitur de *supposito*, ut manifestum est. Cùm itaque *persona* definitur *naturæ rationalis individua substantia*, nihil aliud intelligitur, quàm naturæ rationalis

substantia ab omni aliâ divisa. Hinc *subsistentia*, seu *personalitas* dicitur illud, *quo* natura, vel substantia in se sistit, vel in se existit, vel denique sola existit.

Quia verò duo summa Religionis Christianæ Misteria, videlicet sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, nisi intellectâ subsistentiâ explicari non possunt, ideò quæ sit subsistentiæ ratio, & quomodò à naturâ, sive substantiâ distinguatur paulò fusiùs explicandum est.

CAPUT III.

De Distinctione Subsistentiæ.

Dico itaque 1°. Quod cùm omnis substantia possit existere sola, ita potest existere unita alteri; nulla est enim substantia, quæ alteri, aut corporeæ, aut incorporeæ, aut naturaliter, aut supernaturaliter non possit uniri: atqui manifestum est quod substantia, quæ sola existit, ex eò præcisè quod sola existat, habet propriam subsistentiam, id est, subsistit in se. Unde necessariò sequitur quod cùm omnis substantia possit uniri alteri, possit etiam carere propriâ subsistentiâ. Potest itaque substantia existere sine propriâ subsistentiâ, sed ea quorum unum potest existere sine alio, distinguntur realiter: ergo sub-

ſtantia diſtinguitur realiter à propriâ ſubſiſtentiâ.

Hinc colligitur 1°. Quod *ſubſiſtentia*, ſeu *perſonalitas* dicit in recto, id eſt, formaliter, ſeu principaliter diviſionem, ſeu negationem unionis cum omni aliâ ſubſtantiâ: & in obliquo, id eſt, implicitè, & minùs principaliter dicit naturam vel ſubſtantiam. *Perſona* verò dicit in recto ipſam ſubſtantiam, ſeu naturam, & in obliquo negationem unionis cum omni aliâ ſubſtantiâ, atque ita ſubſtantia diſtinguitur realiter negativè à ſubſiſtentiâ.

Collig. 2°. Quod in Incarnatione, quando ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, ſeu Verbum patris æterni fuit unitum naturæ humanæ in Chriſto non aſſumpſit, neque etiam divinitùs potuit aſſumere perſonam humanam. Quia implicat contradictionem quod natura humana uniatur verbo, & eò ipsò non amittat illam negationem unionis cum omni aliâ ſubſtantiâ, in quâ negatione unionis formalis ratio ſubſiſtentiæ, ſeu perſonalitatis conſiſtit.

Collig. 3°. Quod verbum divinum ita naturam humanam aſſumpſit ut quidquid ineſt homini reale, & poſitivum aſſumpſerit: quamvis perſonam humanam non aſſumpſerit. Perſona enim dicit eſſentialiter naturam ſolam, id eſt, cum negatione unionis. Quàpropter, ſi tollatur illa

negatio unionis, natura non erit amplius persona. Unde Apostolus hebræ. 4. *assimilatum*, inquit, *per omnia in similitudine absque peccato.*

Dico 20. Quod, cùm omnis substantia creata sit essentialiter, & in se positivè finita, terminata, & completa, atque perfecta in ratione substantiæ creatæ; quia nihil deest illi ad hoc, ut sit substantia creata, inde necessariò sequitur quod, si ea in se subsistat, id est, sola existat separatà ab omni aliâ; sit etiam in se, & per se positivè terminata, & completa, atque perfecta suâ terminatione, suo complemento, & suâ perfectione naturali. Unde cùm subsistentia dicat negationem unionis cum omni aliâ substantiâ; proprium subsistentiæ est terminare, complere, & perficere substantiam non positivè, sed negativè: quatenus ea dicit negationem ulterioris terminationis, ulterioris complementi, & ulterioris perfectionis, quam substantia in se subsistens acquireret per unionem cum alterâ substantiâ. Nam plura bona simul unita perfectiora sunt, quàm unum tantùm. Et omnis substantia creata, cùm ea sit finitæ perfectionis, potest ulteriùs perfici per unionem cùm alterâ, aut creatâ aut increatâ. Quamvis substantia increata nullo prorsùs modo terminari, aut perfici possit per unionem cujuscumque substantiæ

creatæ; cùm ea sit ex omni parte infinita, atque infinitis perfectionibus prædita.

Dico 5°. Proprium substantiæ, quæ in se subsistit, id est, quæ sola existit, est quod possit agere sola; & quod ea sit principium totale, & sigulare suarum actionum. Cùm enim *operari sequatur esse*, atque substantia per subsistentiam sola existat, solam quoque posse agere necesse est. Proprium verò substantiæ non subsistentis in se, id est, alteri unitæ est, quod non possit operari sola, cùm sola non existat: *operari enim sequitur esse*. Quàpropter operari tantùm potest cum alterâ, in quâ subsistit. Unde vulgò dicitur *actiones sunt suppositorum, sicut & passiones*.

Hinc colligitur primò quod, si substantia quælibet alteri adæquatè uniatur; ita ut utraque sit ubicumque fuerit altera: neutra substantia subsistet propriâ subsistentiâ, sed subsistentiâ utrique communi; atque omnes actiones ab utrâque indivisibiliter profluent. Ratio est evidens, quia nempe cùm utraque nullibi sit sola, nullibi etiam sola potest operari.

Collig. 2°. Quod si aliqua substantia uniatur alteri inadæquatè; ita ut una non sit ubicumque est altera: illa quidem, quæ ita existit ubi est alia, ut tamen sit alibi, ubi non existit alia, sola in se subsistet; ac sola poterit operari; *operari enim sequi-*

tur esse. Alia verò non subsistet in se neque per se sola poterit operari. Quia nimirum prima existit ubicumque est secunda, & alibi etiam; secunda verò non existit ubicumque est prima.

Collig. 3°. Quod si una substantia creata uniatur, alteri substantiæ creatæ, cùm utraque sit finita, & terminata, neque una possit existere, nisi ubi est alia, supposito quod sint unitæ; neutra subsistet propriâ subsistentiâ, neque, per se, nec in se terminabitur: sed utraque terminabitur, & perficietur per alteram, atque subsistet subsistentiâ communi; nec una poterit moveri, vel movere, agere, vel pati, nisi simul cum aliâ, ut manifestum est.

Collig. Denique. Quod si substantia creata uniatur substantiæ increatæ, æternæ, & immensæ; substantia quidem creata, cùm ea sit finita & terminata, non poterit existere ubicumque fuerit substantia increata, infinita, & immensa, nec ipsi adæquatè uniri: substantia verò increata non solum existet ubicumque, & quandocumque fuerit substantia creata; sed etiam alibi in immensum, & ab æterno, & in æternum. Unde substantia creata sic unita non subsistet in se, nec per se terminabitur; sed terminabitur, ac ulteriùs perficietur per substantiam increatam: nec poterit agere, vel pati sola, sine consortio

substantiæ increatæ: quàpropter per subsistentiam substantiæ increatæ ea subsistet. Substantia verò increata, cùm ea sit essentialiter immensa, & interminabilis ex omni parte, atque existat sola in æternùm, & ab æterno, & in immensùm, ubi, & quando non existit substantia creata ipsi inadæquatè unita, subsistet propriâ substitentiâ: atque ita sola poterit operari; cùm sola existat ubi, & quando non existit, nec potest operari substantia creata. Hæc omnia evidentissima sunt.

CAPUT IV.

Eadem fusius explicantur.

Ex iis, quæ in præcedenti capite dicta sunt, sequitur ulteriùs quod, cùm natura humana fuit unita verbo per incarnationem, eò ipsò privata fuit propriâ subsistentiâ; quia non fuit sola, nec in se & per se terminata; sed in verbo, & per Verbum. Verbum autem non potuit amittere propriam subsistentiam; quia cùm illud sit infinitum, & immensum, ac prorsus interminabile per naturam humanam terminari, aut perfici nequaquam potuit.

Natura enim humana non potest existere, & operari ubicumque est & operatur Verbum: Verbum autem existit: & ope-

ratur ubicumque est, & operatur natura humana, & alibi in immensùm. Unde necessariò sequitur quod, quamvis omnes actiones naturæ humanæ in Christo ab eâdem naturâ humanâ; & à verbo simul indivisibiliter profluant, ita ut eæ sint divinæ simul, & humanæ, atque ideo infiniti meriti, Deus etiam dicatur homo, & homo Deus: actiones tamen verbi à solo verbo sine consortio naturæ humanæ profluant. Quia nimirum verbum, cùm existat solum ubi, & quando natura humana non potest existere, & operari, solum quoque operatur quæ sunt propria naturæ divinæ. Hinc dicitur verbum in se subsistere, naturam verò humanam in Christo subsistere per subsistentiam verbi.

Quia verò *actiones, & passiones sunt suppositorum*, seu personarum, id est, naturarum subsistentium; suppositum autem commune utrique naturæ divinæ, scilicet & humanæ est Christus Deus homo: quidquid dicitur de naturâ sive divinâ, sive humanâ; totum dicitur de Christo cum distinctione tamen naturarum. Quia videlicet, ut jam dictum est, etiamsi natura divina in verbo subsistens concurrat tanquam comprincipium singulare ad omnes actiones naturæ humanæ: ipsa natura humana non concurrit ad actiones naturæ divinæ.

Hinc dicitur Christus filius Dei vivi flagellatus est, & spinis coronatus, Deus mortuus est, & resurrexit, scilicet, secundùm naturam humanam, quam terminat. Sic dicitur Christus filius Dei vivi spirat spiritum Sanctum creavit cælum, & terram, secundùm Naturam Divinam, quatenus ea in illo subsistit. Non tamen dicitur natura humana in Christo subsistens spirat Spiritum Sanctum, natura humana creavit cælum & terram. Quia illa non concurrit ad actiones Naturæ Divinæ, sicut Natura Divina in verbo subsistens concurrit ad actiones naturæ humanæ modo singulari. Nihil certè clariùs meo judicio dici potest: exemplis tamen sequentibus fiet adhuc evidentior nostra sententia.

Si enim v. g. Unum globum acceperis, ille globus est in se terminatus undique, & in se subsistit, atque solus potest moveri, & alterum movere jam motus. Quia nempe solus existit, ab omni alio divisus. Si autem ille globus uniatur alteri, nihil certè amittet positivum, sed tantùm negationem unionis, ut manifestum est; & tamen non ampliùs in se subsistet, neque per se, nec in se terminabitur, nec poterit ampliùs moveri, vel movere solus. Quia nimirum non existet solus; sed uterque simul necessariò movebitur, & movebit indivi-

sibiliter, uterque terminabitur per alterum, & in altero. Atque ideo uterque subsistet non subsistentiâ propriâ, sed subsistentiâ utrique communi.

Sic Anima rationalis, si sola existat à corpore separata, eò ipsò præcisè subsistet in se: & per se terminabitur, atque sola poterit agere, & pati: sola enim ratiocinabitur sine consortio corporis. Si verò uniatur corpori eò ipsò præcisè non subsistet in se, nec in se, nec per se terminabitur; neque sola amplius agere, vel pati poterit sine consortio corporis. Ita ut non possit moveri corpus, nisi simul moveatur Anima, nec Anima, nisi simul moveatur corpus; nec possit moveri appetitus corporis, nisi simul moveatur appetitus Animæ: nec moveri sensus, nisi simul moveatur intellectus, & vicissim. Quapropter neque corpus in se subsistet, nec anima; sed utrumque subsistet subsistentiâ communi, & per alterum terminabitur: atque omnes actiones ab utroque indivisibiliter profluent. Et quia *actiones sunt suppositorum*; suppositum autem utrique commune est *homo*; omnes actiones tribuentur supposito sine ullâ prorsus distinctione naturarum: neque dicetur amplius *Anima ratiocinatur*, *corpus ambulat*; sed *homo ratiocinatur*, & *ambulat*. Ratio est, quia sicut in Christo sunt duæ naturæ imper-

mixtæ, propterea quod natura humana non concurrit ad actiones Naturæ Divinæ; etiamsi Natura Divina concurrat ad actiones naturæ humanæ: ita in homine corpus, &. Anima rationalis unam tantùm naturam constituunt. Quia corpus concurrit ad omnes actiones Animæ, & Anima concurrit ad omnes actiones corporis.

Ex his vides quàm clarè, & evidenter ex nostrâ sententiâ omnia demonstrentur, quæ ad subsistentiam pertinent. Quàpropter nullo modo aŭdiendi sunt qui subsistentiam esse modum quemdam, vel entitatem positivam naturæ superadditam asserunt. Quæ profectò entitas omninò inutilis est; cùm omnia faciliùs fieri sine illa, atque clariùs explicari possint: imò nedum explicari, aut ullâ ratione evidenti probari; sed nequidem concipi potest illa entitas. Quod autem probari non potest, nullo modo est admittendum; multominùs quod non potest explicari, neque concipi: neque frustra multiplicanda sunt entia sine necessitate; juxta illud axioma (*Deus, & natura nihil faciunt frustra.*

Cæterùm cùm in creaturis subsistentia non distinguatur realiter positivè à naturâ, nec sit aliquis modus, aut aliqua entitas positiva superaddita substantiæ: quantò magis in Deo. Nám quamvis Natura Divina subsistat in tribus personis inter se

realiter distinctis; nulla tamen persona, aut subsistentia distinguitur realiter non solùm positivè, sed nequidem negativè à Naturâ divinâ. Quia, videlicet, implicat Naturam Divinam amittere propriam subsistentiam per quamcumque unionem cum alterâ naturâ; ut patet ex jam dictis.

Dices. Videtur implicare contradictionem quod personæ Divinæ inter se realiter distinguantur & non distinguantur realiter à naturâ divinâ. Nam inde sequitur quod eadem entitas sit realiter distincta, & non sit realiter distincta.

Resp. Nulla est ibi vera contradictio, sed tantùm aparens respectivè ad nostrum imperfectum concipiendi modum. Quia, scilicet, intellectus humanus finitus Naturæ Divinæ infinitatem comprehendere nequaquam potest. Cùm enim Natura Divina sit infinita, infinitis entibus realiter distinctis æquivalet à parte rei. Ita ut de ipsâ dici possit, sine ullâ prorsus contradictione quod de entibus realiter distinctis diceretur. Itaque Natura Divina actualiter indistincta virtualiter distinguitur à parte rei, id est, pluribus æquivalet in ordine ad illa prædicata, quæ videntur contradictoria. Quæ distinctio est absoluta sine respectu ad nostrum concipiendi modum.

CAPUT V.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1°. De unâ, & eâdem re contradictoria affirmari non possunt; sed natura humana fuit assumpta à verbo, persona non fuit assumpta: Ergo natura humana, & persona non sunt una, & eadem res.

Resp. Dist. Mai. De unâ, & eâdem re contradictoria affirmari non possunt sub eodem respectu, Conc. sub diverso respectu, Neg. & concessâ minore, negatur consequentia. Nam eadem omnino entitas naturæ humanæ, quatenus connotat negationem unionis cum alterâ, id est, quatenus sola existit ab aliis divisa, dicitur persona: quatenùs verò non connotat negationem unionis, id est, quatenus existit unita alteri, dicitur tantùm natura. Quàpropter cùm eò ipsò, quò fuit unita verbo non connotet ampliùs negationem unionis, sed potiùs unionem cùm verbo: optimè dicitur sine contradictione verbum assumpsisse naturam humanam, & non assumpsisse personam.

Objic. 2°. Verbum divinum ex sanctis Patribus assumpsit naturam humanam, & consumpsit personam: Ergo ratio personæ est aliqua entitas positiva. Nam pura negatio non potest consumi.

Resp. Neg. Conseq. Nam quando sancti Patres dicunt verbum consumpsisse personam, nihil aliud intelligunt quàm verbum non assumpsisse personam; vel quod idem est, consumpsisse, & sustulisse personam tollendo negationem unionis per unionem verbi. Negatio enim per se tolli non potest, sed tantùm per substractionem, vel per additionem alicujus positivi.

Objic. 3°. Natura humana in Christo vel aliquid amisit, vel nihil; si aliquid amisit, Ergo ratio personæ est aliquid positivum: si nihil amisit, ergo sicut habuisset personæ rationem, si non fuisset unita; ita unione peractâ.

Resp. Natura humana in Christo amisit aliquid negativum, scilicet, negationem unionis, & nihil amisit positivum: sed acquisivit aliquid positivum; scilicet, unionem cum verbo, per quam factum est ut sola, & ab omni aliâ divisa non remanserit. Et ideo negatur utraque sequela.

Instabis. Natura humana in Christo est sui juris, cùm ea sit liberrima; est item singularis, & individua: Ergo nihil deest illi quominùs persona humana dici queat.

Resp. Neg. Conseq. Nam quamvis natura humana in Christo sit liberrima, sit item singularis, & individua, id est, *distincta à qualibet aliâ*; non est tamen *divisa à*

qualibet aliâ : cùm ea sit unita verbo ; unde neque persona humana pati potest, nec agere sola sine consortio verbi.

Objic.4°. Si subsistentia nihil est, nisi negatio unionis, non minùs verbum amisit propriam subsistentiam, quando fuit unitum naturæ humanæ, quàm ipsa natura humana ; nam cùm natura humana eò ipsò quo unitur verbo, amittat propriam subsistentiam : Inde necessariò sequitur quod verbum eò ipsò, quo fuit unitum naturæ humanæ, propriam quoque subsistentiam amiserit.

Resp. Neg. Paritatem. Cùm enim natura humana, ut jam dictum est, sit creata, finita, & terminata, atque per aliud possit etiam terminari, atque ulteriùs compleri, & perfici : Inde necessariò sequitur quod eò ipsò, quo unitur verbo terminetur, atque ulteriùs compleatur, ac perficiatur per verbum, & in verbo. Verbum autem, cùm sit infinitum, immensum, æternum, & interminabile ; quamtumvis uniatur substantiæ creatæ, non potest per illam, aut in illâ terminari, neque ulteriùs compleri, aut perfici.

Objic.5°. Si subsistentia nihil esset formaliter, quàm negatio unionis, frustra à Conciliis, tamquam dogma fidei determinatum esset humanitatem à verbo assumptam carere propriâ subsistentiâ ; cùm in-

tellectis terminis vel ipso lumine naturæ perspicuum sit naturam verbo unitam non habere negationem unionis ad verbum.

Resp. Neg. Sequel. Neque enim frustra fuit determinatum à Conciliis naturam humanam à verbo assumptam carere propriâ subsistentiâ ; quamvis subsistentia nihil aliud sit formaliter, quàm negatio unionis cum aliâ substantiâ : quia multi non intelligebant quid esset formaliter subsistentia; cùm plures adhuc, & innumeri non intelligant, ut manifestum est.

Objic. 6°. Illud abhorret ab omni ratione quod verbum suppleat negationem, cùm supplet naturæ humanæ subsistentiam: Ergo non est admittendum quod subsistentia nihil aliud sit formaliter, quàm negatio.

Resp. 1°. Neg. Ant. Neque enim verbum supplet, sed tollit negationem, & subsistentiam humanam, dum naturæ humanæ addit subsistentiam divinam fusiùs itaque.

Resp. 2°. Abhorret quidem ab omni ratione quod verbum assumendo naturam humanam suppleat tantùm negationem: neque enim hoc ita fieri potest. Nam si verbum præcisè suppleret illam negationem unionis, quam naturaliter exigit natura humana : natura humana in eo sensu quamvis unita verbo non subsisteret nisi subsistentiâ humanâ, quod implicat contradic-

tionem. Quàpropter dicendum quod verbum assumendo naturam humanam non supplet, sed tollit illam negationem, quam naturaliter exigit natura humana; & addendo personam divinam aliquid addit positivum, scilicet, naturam divinam, quatenus in verbo subsistit: & sic illam negationem, & subsistentiam naturæ humanæ tollit; negatio enim, cùm nihil sit positivum, neque addi, neque tolli per se potest: sed tantùm addendo, vel tollendo aliquid positivum, ut manifestum est.

Objic. Denique inter duo entia completa nulla esse potest unio substantialis; sed natura humana tam est quid completum, quàm *homo*; si subsistentia nihil sit quàm negatio: Ergo inter verbum, & naturam humanam nulla esse potest unio substantialis.

Resp. Dist. Mai. Inter duo entia completa, quorum unum, vel utrumque ulteriùs perfici nequaquam potest per alterum, nulla potest esse unio substantialis, Conc. Quorum unum, vel utrumque ulteriùs perfici potest per alterum, Neg. Similiter Dist. Min. sed natura humana est ens completum, quod potest ulteriùs compleri, & perfici per verbum, Conc. Quod non potest ulteriùs perfici per verbum, Neg. & Neg. Conseq. Natura enim humana non manet in se completa dum unitur verbo, sed ulte-

riùs completur, ac perficitur per verbum; cùm ex ipsâ per verbum fiat *homo-Deus* unitate personæ: sicut ex Anima rationali, & corpore humano fit *unus homo* unitate essentiæ, quia utrumque completur, ac perficitur per alterum in ratione hominis. Quàmvis enim Anima rationalis sit verè in se completa in ratione *substantiæ spiritualis*, & corpus humanum sit verè completum in ratione *animalis*: utrumque tamen simul completur, ac perficitur per alterum in ratione *animalis rationalis*. Sic licet natura humana in Christo sit verè in se completa, & perfecta in ratione *hominis*: completur tamen ulteriùs per verbum in ratione hominis Dei.

Manent igitur in Christo duæ essentiæ, seu naturæ divina, scilicet, & humana inconfusæ & inpermixtæ in uno, & eodem supposito, seu personâ. Unde sanctus Athanasius in suo simbolo, *unus*, inquit *non confusione substantiæ, sed unitate personæ*.

CAPUT VI.

De Accidente.

NOmine accidentis intelligitur illud omne, quod substantia non est, & substantiæ advenit, & sine quo substantia

esse potest. Hinc excluditur à ratione accidentis indumentum, quàmvis substantiæ adveniat, quia substantia est. Excluduntur etiam à ratione accidentis omnia corpuscula, quæ ex quolibet corpore effluunt, sive sint odorifera, vel non: quia sunt substantiæ, quibus inest odor, vel motus, qui est accidens.

Dari autem accidentia evidentissimum est, ac per se notum evidentiâ sensuum. Nam mihi evidentissimum est me aliquando vigilare, aliquando videre, aliquando ambulare, & aliquando non: modò me esse calidum, postea frigidum &c. Est itaque per se notum dari accidentia realiter distincta à substantiâ.

Quænam verò sit ratio formalis accidentis, vel quæ sit vera accidentis definitio gravis est hac de re controversia inter Philosophos, & maximè intricata quæstio.

Alii enim accidens nihil aliud esse dicunt quàm *quod potest adesse, & abesse sine subjecti corruptione*. Sed hæc est proprietas accidentis, non autem vera illius definitio, ut patebit inferiùs.

Aristoteles definit accidens, *quod est in alio, non tanquam ejus pars, & sine subjecto esse non potest*. Sed cùm accidens sit aliquid positivum, hæc autem definitio maximâ ex parte sit negativa, non potest esse legitima accidentis definitio.

Alii denique definiunt Accidens, *ens in alio*, vel *ens inhærens alteri*, sed accidens non est ens; atque ita malè ponitur ens in ejus definitione. Hinc videre potes quantùm cæcutiat intellectus humanus in iis etiam, quæ sensibus percipiuntur.

Cæterùm Divus Thomas juxta Aristotelis mentem asserit, quod accidens non est ens, sed est entis esse, neque habet esse, sed eo aliquid est. Idque pluribus in locis ita confirmat: Ut hanc esse veram, ac genuinam divi Thomæ, ac proinde omnium Thomistarum sententiam dubitare non liceat. Accidens igitur juxta Divum Thomam est entis esse, seu id quo aliquid est. Et quamvis hæc definitio paulò sit obscurior quàm par sit; cùm ei desit aliquid necessarium: ex illâ tamen veram accidentis definitionem haurire non erit difficile.

Notandum igitur 1°. Quod hîc nomine *entis* intelligitur substantia, quæ sola est ens; nam ipsi soli convenit definitio *entis*, ut jam demonstravimus; ac proinde Accidens est entis, seu substantiæ esse 2°. Quod per, *esse*, non intelligitur esse absolutum, sed esse modale, seu respectivum. Alioquin accidens esset essentiale substantiæ; cùm esset id, sine quo substantia absolutè esse non potest. Implicat enim substantiam esse sine suo esse absoluto; ac proinde accidens non esset accidens. Non est igitur accidens

entis

entis seu substantiæ esse essentiale, sed accidentale, id est, non est entis esse absolutum, sed respectivum, seu modale, id est, modus entis, ut vulgò intelligitur à Thomistis. Propterea accidens dicitur forma accidentalis substantiæ, seu ratio essendi accidentalis, vel modificatio, aut determinatio substantiæ: dicitur etiam dispositio, seu habitudo entis. Nam hæc omnia idem significant.

Conclusio. Vera itaque accidentis definitio hæc est (*Accidens est illud, quo ens*, seu substantia *aliquo modo existit*) idem intelligitur cùm dicitur (*Accidens est Entis esse modale*, seu modus entis. Sed paulò obscuriùs.

Probatur. Concl. Quia nullum accidens est ens; ac proindè omne accidens est entis esse modale, seu illud, quo substantia aliquo modo existit: nihil enim aliud esse potest, ut patet. Omnis autem substantia est ens: ergo hæc definitio omni, & soli accidenti convenit. Ac proindè vera est accidentis definitio.

Prob. Ant. Quia si accidens esset ens, definitio entis videlicet (*quod existit contingēter*) essentialiter & absolutè, simpliciter, ac per se formaliter ei conveniret; atque ita per se formaliter existeret: neque ullâ prorsùs aliâ re indigeret ad existendum, ut perspicuum est; unde & per se solum exi-

stere naturaliter posset ab omni alio ente creato separatum, & in se subsistere; ac proindè illud esset substania, & non accidens: cùm definitio, & proprietates substantiæ ei competerent. Ergo nullum accidens est ens.

Confirmatur conclusio ex proprietatibus accidentis. Nam ex eò quòd accidens non sit *illud quod existit*, sed *illud quo substantia aliquo modo existit*, necessariò sequitur.

1°. Quod accidens non sit illud, quod operatur, aut patitur, neque illud, quod videtur, aut tangitur; sed illud, quo substantia, seu subjectum patitur, & operatur, & quo subjectum videtur, aut tangitur v.g. neque est illud, quod fit, aut producitur, sed illud, quo subjectum fit, mutatur, aut producitur aliquo modo. Sic cùm aliquis gladio confoditur, acumen gladii non est illud, quod agit, & plagam infert, sed illud quo ferrum agit, & plagam infert: neque fit, aut producitur gladii acumen, sed ferrum acuitur & fit acuminatum. *Operari enim sequitur esse.*

2°. Ex eò quod accidens non sit illud, quo substantia absolutè existit, sed *illud quo substantia aliquo modo existit*; sequitur necessariò quod accidens possit adesse, & abesse sine subjecti corruptione. Nam res quælibet potest existere absolutè sine suo modo, ut patet.

3°. Denique ex eò, quod accidens non sit *illud quod existit*, sed *illud, quo subjectum aliquo modo existit*, sequitur necessariò quod essentialiter exigat inesse, atque inhærere subjecto. Ut perspicuum est. Et istæ sunt omnes accidentis proprietates. Cùm igitur proprietates non possint fluere nisi ab essentiâ, hinc evidentissimè colligitur prædictam definitionem accidentis esse legitimam: cùm ex illâ omnes accidentis proprietates clarè innotescant.

Manifestum est igitur accidens esse *illud quo subjectum aliquo modo existit*, ut rotunditate est aliquid rotundum, quantitate est aliquid quantum, & extentione extensum, & rarefactione rarefactum &c. Neque dici ens nisi per analogiam, & per quamdam participationem à substantiâ.

CAPUT VII.

Solvuntur Objectiones.

OBjic. 1°. Contra conclusionem præcedentem. Quidquid verè est à parte rei, est aliqua res, vel aliquod ens; sed accidens verè est à parte rei: non enim est per intellectum duntaxat; ergo accidens est aliqua res, sive aliquod ens.

Resp. Dist. Mai. Quidquid verè est à parte rei *illud quod existit*, est aliqua res,

ſive aliquod ens, Conc. Quidquid eſt *illud, quo ſubſtantia aliquo modo exiſtit*, eſt aliquod ens, Neg. ſimiliter diſtinguo Min. ſed accidens vere eſt à parte rei *illud, quo ſubſtantia aliquo modo exiſtit*, Conc. eſt *illud quod exiſtit* Neg. Et Nego. Conſeq.

Inſt. Cùm corpus, quod ante quieſcebat, movetur, aliquid ei ſupervenit: ergo motus eſt aliquid, ſeu aliqua res.

Reſp. Cùm corpus, quod ante quieſcebat, movetur, aliquid ei ſupervenit modale, Conc. Aliqua entitas abſoluta, Neg. Similiter Diſt. Conſeq. Ergo motus eſt entis eſſe modale, Conc. eſt ens, Neg.

Urgebis. Modus vel eſt ens aliquod, vel nihil, neque enim datur medium: ſed non poteſt dici quod nihil ſit; ergo eſt ens.

Reſp. Modus eſt eſſe modale, ſeu eſſe reſpectivum ſubſtantiæ, id eſt, ſubſtantia modificata, ſeu modificatio ſubſtantiæ. Digitus v. g. eſt ens abſolutum, digitus inflexus eſt ens modificatum, inflexio digiti eſt entis eſſe modale, ſeu modificatio digiti. Quâpropter inter ens & nihil datur medium, ſcilicet, eſſe modale, ſeu reſpectivum, quod dicitur ens per analogiam.

Inſtabis denuò. Omnis modus, ſeu reſpectus eſt eſſentialiter unius eſſe ad aliud, ſive habitudo unius ad aliud; ſed unum corpus quantum, extenſum, figu-

ratum, & album, non est quantum, extensum, figuratum, & album respectivè ad aliud, sed absolutè, intrinsecè, & sine respectu ad aliud quodcumque: ergo quantitas, extensio, figura, albedo, & alia his similia non sunt modi, seu respectus, sed entitates absolutæ.

Resp. Concessâ Mai Dist. Min. Sed unum corpus quantum, extensum, figuratum, & album, non est hujusmodi respectivè, seu per habitudinem, & respectum ad aliquid aliud sibi extrinsecum, Conc. non est hujusmodi per respectum, seu per mutuam partium inter se habitudinem sibi intrinsecam, Neg. Nam quantitas interna nihil aliud est, quàm numerus partium materiæ, id est, esse seu coexistentia multarum partium ejusdem subjecti; quantitas extensiva nihil aliud est, quàm, esse seu coexistentia partium unius extra aliam: figura denique, & albedo nihil aliud sunt, quàm talis coexistentia partium inter se, quâ tali modo terminantur, & tali modo lumen reflectunt. Similiter Dist. Conseq. Ergo quantitas, extensio, figura, albedo, & alia his similia non sunt modi, seu respectus extrinseci subjecto, Conc. Non sunt modi seu respectus subjecto intrinseci, nego.

Hîc notandum 1°. Quod isti modi, quia conveniunt subjecto sine respectu ad

aliquid extrinsecum, dicuntur accidentia absoluta, seu modi absoluti, quasi dicerentur respectus absoluti: non quod sint entitates absolutæ, sed ut distinguantur ab aliis modis, qui conveniunt subjecto per ordinem ad aliquid extrinsecum, qualia sunt æqualitas, similitudo, paternitas, filiatio, & alia his similia, quæ idcirco dicuntur accidentia relativa, quasi dicerentur respectus relativi reduplicativè, seu duplici modo, intrinsecè, scilicet, & extrinsecè.

Notandum 2°. Quod sicut quantitas est modus substantiæ corporeæ, ita extensio est modus quantitatis, seu substantiæ quantæ, & figura est modus extensionis seu substantiæ extensæ, sicut albedo: similitudo autem est modus extrinsecus albedinis. Et sic idem subjectum potest simul variè modificari: ita ut unus modus sit quasi fundamentum alterius

Objic. 2°. Si accidens non est ens, sed entis esse, neque habet esse, sed eo aliquid est, impossibile est quod sine subjecto existat: Ergo non potest explicari sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo de fide est quod accidentia manent sine subjecto.

Resp. Cum divo Thomâ. 3. q. 77. 1. dist. sequelam. Impossibile est quod accidens sine subjecto existat naturaliter, Conc. divi-

nitùs Neg. & Neg. Conseq. Nam etiamsi accidens non sit ens, sed entis esse; nihilominùs actualis inhærentia in subjecto connaturali non est ejus essentia, sed inhæsionis exigentia: & sic benè potest explicari sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; sicut illud clarè explicabimus in Physicâ in tractatu de qualitatibus elementorum, postquàm scilicet de singulis accidentibus speciatim egerimus.

Instabis. Modus non potest etiam divinitùs existere sine re modificatâ: Ergo non potest accidens etiam divinitùs esse sine subjecto connaturali.

Resp. Neg. Ant. sed paulisper sustine, & videbis gloriam Dei: nam stabo promissis, & quomodò possit accidens sustentari divinitùs sine subjecto connaturali clarè explicabo, Deo dante in Physicâ.

Objic. denique. Quædam accidentia non possunt inesse aliquibus subjectis sine illorum corruptione, ut patet in summo calore, vel in summo frigore, quæ non possunt inessè animali sine illius destructione: Ergo non est proprium accidentis quod possit adesse, & abesse sine subjecti corruptione.

Respondent quidam Philosophi summum calorem, & summum frigus destruere hominem quoad existentiam, non quoad essentiam: faciunt enim, ut aiunt, quod

homo moriatur, non quod homo non fit *animal rationale*. Sed hanc responsionem esse prorsùs ineptam nemo non videt; quomodò enim poterit esse *animal rationale*, si homo non sit: quod enim non existit nihil est; neque potest homo simul non existere, & esse *animal rationale*. Ut manifestum est.

Resp. Itaque Neg. Conseq. Nam *animal* non est subjectum summi frigoris, aut summi caloris; cum summus calor, aut summum frigus nunquam possint inesse naturaliter animali: sed materia, seu corpus animalis est subjectum hujusmodi accidentium; potest enim esse corpus, seu materia cum summo frigore, vel calore, vel cum formâ animalis.

CAPUT VIII.

De Modò, seu Relatione.

Cum accidens sit entis esse modale, seu modus entis, ut jam demonstratum est, quid sit entis modus, seu respectus, aut relatio fusius explicare opere pretium est: maximè cum nulla ferè sit in Philosophiâ quæstio majori obumbrata caligine, aut pluribus intricata difficultatibus.

1o. Itaque relatio variis nominibus exprimitur. Dicitur enim modus, quo duo,

vel plura inter se referuntur, vel respectus, quo se mutuò respiciunt, seu esse respectivum unius ad aliud, vel ordo, quo unum ordinatur ad aliud: dicitur etiam habitudo unius ad aliud, vel plurium ad se invicem, vel connotatio, quâ unum connotat aliud, vel denique forma relativa, quâ refertur ad aliud; nam hæc omnia idem significant.

20. Relata sunt ea, quæ id quod sunt, alterius esse dicuntur, vel ad alterum. Ut pater dicitur filii pater, & filius dicitur patris filius. Hæc est definitio nominis, quam tradit Aristoteles in prædicamentis. Unde Relatio definiri potest definitione nominis (*id quo aliqua, id quod sunt, alterius esse dicuntur.*)

31. Metaphysicè verò definiuntur, relata vera scilicet rei definitione, hoc modo, *Relata sunt ea, quorum esse est ad aliud*, sive alterius, ut servus est domini servus, & Dominus est servi Dominus. Relationis quoque vera definitio hæc est (*relatio est entis esse ad aliud*) hinc perperàm quidam Philosophi occasionem sumpserunt distinguendi Relationem in Relationem secundùm dici, & in relationem secundùm esse; cum eadem sit omnino relatio variis definitionibus explicata, ut patet.

Essentiale est igitur relationi quod sit inter duo, vel plura, quæ sibi coexistant abinvicem realiter distincta: cùm relatio

sit entis esse ad aliud. Quod enim non existit ad aliud referri non potest, cùm nihil sit: neque unum, & idem potest ad semetipsum referri relatione reali, ut perspicuum est. Unde in omni relatione necessariò reperiuntur relationis subjectum, scilicet *ens*, relatio ipsa, scilicet, *entis esse*, relationis terminus, nempè, *aliud ens*, relationis fundamentum, & ratio fundandi, seu fundamentum proximum, quo posito resultat relatio. Proprium verò relationis est, quod sit illud, quo ens respectivè ad aliud operari potest; cùm sit *entis esse ad aliud*: nam *operari sequitur esse* undè pro vario esse ad aliud, varia quoque oritur operatio respectiva.

Sic paries albus A., qui similis est parieti albo B., est subjectum relationis, seu similitudinis; paries autem B., cui similis est, & ad quem refertur paries albus A., est relationis terminus, illud esse simile, seu similitudo est ipsa relatio; fundamentum relationis est albedo parietis. A., ratio fundandi relationem seu fundamentum proximum, quo posito resultat relatio, est albedo parietis. B., quâ positâ paries. A. est similis parieti. B., quia coexistit albus cum pariete. B. Undè necessariò sequitur quod eodem tempore, atque simili modo possit operari, videlicet, lumen reflectere sicut paries. B.

Sic denique *homo generans* est subjectum paternitatis, & dicitur pater, *homo genitus*, seu, filius est terminus ad quem refertur pater; *paternitas* est ipsa relatio, sive id quo pater refertur ad filium: *fundamentum relationis*, seu paternitatis est generatio activa; *ratio fundandi relationem*, seu fundamentum proximum, quo posito resultat relatio, est generatio passiva, quâ positâ resultat relatio, seu paternitas in homine generante: quia tunc coexistit ei quem genuit. Undè necessariò sequitur quod possit operari, & se gerere sicut pater erga filium. Subjectum autem & terminus, id est, pater, & filius sunt extrema relationis seu correlativa.

Proprium verò correlativorum omnium est, quod sint simul naturâ, ut correlativa sunt; tum quod una sit eorum scientia. Neque enim concipi, aut explicari, vel definiri potest unum correlativum, nisi statim innotescat alterius correlativi definitio. Si enim definiatur v. g. pater, *is qui alium genuit*, statim patet filium esse, *eum, qui genitus est ab alio*.

CAPUT IX.

Relationis Divisio.

Relatio alia est essentialis, alia accidentalis, seu *cathegorica.*

Relatio essentialis est ea, sine quâ subjectum esse non potest; qualis est relatio creaturæ ad Creatorem: & hæc est dependentia omnis creaturæ, quâ essentialiter dependet ab actuali influxu Creatoris omnipotentis, ex quâ necessariò sequitur quod nulla creatura possit operari sine actuali influxu Dei; nam *operari sequitur esse.* Hæc relatio vulgò dicitur transcendentalis; quia scilicet, convenit enti creato, quod transcendit omnia prædicamenta, id est, quod superius est omnibus prædicamentis.

Proprium est relationis essentialis quod neque subjectum sine fundamento, neque fundamentum sine relatione clarè concipi possint: quia hæc omnia identificantur. *Homo* v. g. qui refertur ad Deum ut creatura ad Creatorem, est *subjectum relationis*, Deus *est relationis terminus*, *fundamentum* relationis est creatio passiva, *fundamentum proximum* est creatio activa Dei, *relatio ipsa* est Existentia hominis à Deo, seu essentialis dependentia creaturæ à Creatore.

Relatio accidentalis, de quâ hîc potis-

sinùm agitur, est ea sine quâ subjectum esse potest, quales sunt relationes omnes, quæ dicuntur prædicamentales, de quibus in prædicamento relationis egimus. Ubi notandum quod omne ens creatum est ens relativum simul & absolutum diverso respectu. Nam ens creatum est illud quod existit à Deo, & sub illo respectu est ens essentialiter relativum. Respectivè autem ad accidentia dicitur ens absolutum: quia illius Essentia videlicet (*quod existit contingenter*, nullum importat accidens determinatum. Quàpropter esse *illud*, *quod existit contingenter* dicitur *esse absolutum* entis creati, sine quo esse non potest: esse autem præsens tali tempori, vel tali loco est *esse relativum*, seu relatio entis creati, sine quâ esse potest: sicut existere cum tali quantitate, vel qualitate, cum tali actione, vel passione, cum tali æqualitate, vel inæqualitate, cum tali similitudine, vel dissimilitudine, & sic de aliis.

Sic licet omne accidens sit essentialiter relatio, seu esse relativum entis creati; illa tamen accidentia, quæ immediatè afficiunt substantiam, dicuntur accidentia absoluta, quasi dicerentur relationes absolutæ, respectivè ad ea, quorum fundamentum esse possunt, maximè verò ad ea, quæ sunt puræ relationes, qualia sunt similitudo, vel dissimilidudo, æqualitas, vel inæqualitas: quia

hæc ultimò afficiunt substantiam mediantibus aliis accidentibus, seu relationibus; nec ipsa aliorum fundamentum esse possunt.

Hinc relatio accidentalis alia est, quæ subjectum immediatè afficit, qualis est esse præsens tali tempori, vel tali loco: alia verò, quæ subjectum mediante aliâ relatione afficit, qualis est figura, quæ mediante extensione afficit subjectum, vel extensio, quæ pariter mediante quantitate subjectum afficit.

Proprium est omnis relationis accidentalis, quod non possit resultare in subjecto sine illius accidentali mutatione vel præsenti, vel saltem præteritâ: nam paries. A. non potest fieri similis parieti albo B. nisi dealbetur, aut saltem nisi ipso jam dealbato dealbetur paries. B.

Proprium est relationis accidentalis immediatæ, quod illius subjectum possit esse, & concipi sine relatione, non tamen sine relationis fundamento. Ratio primi est, quia proprium est relationis accidentalis, quod possit adesse, & abesse sine subjecti corruptione: ratio autem secundi est, quia subjectum illius relationis est immediatè illius fundamentum.

Proprium denique relationis mediatæ est, quod illius subjectum possit esse, & concipi sine relatione, & sine relationis fundamento. Ut paries potest concipi & exi-

ſtere ſine albedine,& ſine ſimilitudine: quia utraque eſt illi accidentalis.

CAPUT X.

Utrum Relatio diſtinguatur à fundamento.

GRavis eſt quæſtio inter Thomiſtas & alios Philoſophos, utrum relatio ſit aliqua entitas realiter diſtincta à fundamento.v.g. ſimilitudo ab albedine, vel æqualitas à quantitate. Thomiſtæ enim aſſerunt relationem eſſe entitatem modalem realiter diſtinctam à fundamento : Ita ut tot adveniant de novo entitates reales in ſubjecto,quot reſultant in eo relationes.

Alii verò è contra relationem non eſſe entitatem realiter à fundamento diſtinctam arbitrantur. Sed hæc quæſtio tota verſatur in æquivocatione. Sit igitur.

1ª. Concluſio. Relatio non eſt entitas in ſubjecto realiter à fundamento diſtincta,ſed importat eſſentialiter entitatem ſubjecto extrinſecam,ſcilicet,terminum.

Probatur, & demonſtratur concluſio. Tota, & formalis ratio cur paries albus A. ſit ſimilis parieti albo B. eſt quia paries A. coexiſtit albus cum pariete albo B. ſed quod paries A. coexiſtat albus cum pariete albo B. Id nullam prorsùs entitatem in ſubjecto præter albedinem importat : ſed

entitatem dumtaxat extrinsecam subjecto, scilicet, terminum, seu coexistentiam parietis albi. B. ergo relatio non est entitas in subjecto realiter à fundamento distincta; sed importat essentialiter entitatem subjecto extrinsecam, videlicet, terminum.

Probatur major. Quia, cum dicitur quod paries albus. A. Est similis parieti albo B. nihil aliud formaliter significari, aut concipi potest, nisi quod paries. A. simul existit albus cum pariete albo. B. Ergo tota, & formalis ratio cur paries albus. A. sit similis parieti albo B. Est quia simul existit albus cum pariete albo. B. Sic quando dicitur quod Petrus est pater Pauli, vel quod habet relationem paternitatis ad Paulum; nihil aliud prorsùs significatur, aut concipitur, nisi quod Petrus genuit Paulum: ergo tota, & formalis ratio cur Petrus sit pater Pauli, est quia ipsum genuit. Ac proindè, tota & formalis ratio parternitatis nullam aliam dicit in Petro entitatem realiter distinctam à præterita generatione activa, sed tantùm coexistentiam Petri ab ipso geniti.

Probatur Min. Quia præcisâ quâcumque entitate intermediâ duo parietes albi eò ipsò, quo simul existunt albi, verè sunt, & verè dicuntur similes: ergo similitudo non dicit aliquam entitatem in pariete realiter distinctam ab albedine, sed alte-

rius dumtaxat parietis albi coexiſtentiam. Similiter ut unum quantum ſit, & dicatur æquale alteri nihil aliud prorsùs requiritur, quàm ut tantùm habeat quantitatis, nec plùs, nec minùs quàm aliud quantum ſimul exiſtens: ac proindè relatio æqualitatis nihil dicit in ſubjecto realiter diſtinctum à quantitate, ſed alterius quanti coexiſtentiam dumtaxat.

Demonſtratur eadem concluſio ab impoſſibili ut ex omni parte convincatur rebellis ac pervicax intellectus; demonſtratur autem argumento quidem vulgari, ſed non parùm efficaci. Nam ſi relatio diceret aliquam entitatem poſitivam realiter diſtinctam à fundamento, & de novo advenientem ſubjecto, ſequeretur ex eò, quod unus paries Romæ dealbaretur; omnia corpora alba, & nigra, quotquot in toto orbe reperiuntur, novam entitatem realem accipere, & aliam deperdere: imò quoties muſca vel tantillùm moveretur, res omnes creatas ſive in cælo, ſive in terrâ exiſtentes in ſe recipere entitatem novam realem, per quam dicerent ordinem propinquitatis, aut diſtàntiæ ad illam; & amitterent aliam, per quam aliter eam priùs reſpiciebant. Quis autem non videt hæc eſſe planè abſurda, & impoſſibilia: neque ullam poſſe dari, aut concipi cauſam tot entitatum realium, quæ de novo

advenire supponuntur, productivam, aut quæ deperduntur destructivam. Itaque entitas illa à fundamento distincta non solum est inutilis omninò sed nequidem concipi potest. Unde evidenter colligitur nullam dari hujusmodi entitatem novam in subjecto relationis à fundamento realiter distinctam; *non enim multiplicanda sunt entia sine necessitate*: & *quod concipi non potest, non est ens.*

2°. Conclusio. Relatio non est ens, aut entitas aliqua, quæ producatur, aut destruatur, sed est novum esse respectivum, seu modus, aut realis respectus, qui resultat in subjecto ratione fundamenti ex positione termini, & qui desinit esse ex sola destructione termini, neque ullam importat entitatem in subjecto realiter distinctam à fundamento: sed entitatem dumtaxat subjecto extrinsecam, scilicet, terminum.

Explicatur conclusio, quæ jam manet demonstrata ex præcedenti. Quod enim paries albus. A. Sit à parte rei, & nemine cogitante similis parieti albo B. id est, quod à parte rei simul existat albus cum pariete albo. B. Est verum esse respectivum, seu realis respectus; nam sicut esse album dicitur esse abosolutum à parte rei parietis albi, ita esse simul album à parte rei cum alio est verum esse respectivum parietis albi: quod autem paries albus. A.

simul albus cum pariete. B. id nullam importat entitatem in pariete. A. præter albedinem,ut patet ; sed extrinsecam dumtaxat existentiam parietis albi. B. quâ positâ paries. A. simul existit albus cum ipso,& quâ sublata desinit esse simul albus. Et sic manet explicata conclusio.

Hæc autem conclusio sic explicata est vera tum Aristotelis, tum divi Thomæ, atque omnium Thomistarum sententia. Nam divus Thomas pluribus in locis clarè dicit quod accidens non est ens, sive entitas aliqua,quæ produci, aut destrui,vel corrumpi possit; sed est entis esse, scilicet; respectivum, seu modale, quod non habet esse, sed eo aliquid est. Unde cùm Thomistæ dicunt relationem esse entitatem modalem, quæ non producitur, sed resultat in subjecto ex positione termini, nihil aliud prorsùs intelligunt quàm esse modale, seu respectivum, ut patet. Ac proindè sublatâ æquivocatione dumtaxat cum aliis Philosophis idem planè sentiunt.

Similiter cùm alii Philosophi dicunt dari aliqua accidentia absoluta, nihil aliud intelligi potest,nisi quod dentur accidentia, quæ ex mutua partium, vel potentiarum inter se habitudine subjecto intrinsecâ resultant sine respectu ad aliquid aliud subjecto extrinsecum, & quæ dicuntur idcircò absoluta, tum quod aliorum acciden-

tium, quæ sunt puræ relationes extrinsecæ, fundamentum esse possunt; non autem quod habeant veram entitatem realiter à subjecto distinctam: neque enim ulla mentis agitatione concipi possunt hujusmodi entitates absolutæ, & sic sublatâ pariter æquivocatione omnes Philosophi cum Aristotele, & cum divo Thoma, qui dicunt quod accidens non est ens, sed entis esse, quod non habet esse, sed eo aliquid est, facilè convenire possunt.

Quod autem Divus Thomas asserat quod accidens non est ens, aut entitas aliqua, quæ produci, aut destrui, vel corrumpi possit; sed quod est entis esse, quod non habet esse, sed eo aliquid est, unicum dumtaxat ex pluribus proferam testimonium. Nam in primâ secundæ quæst. 110. Art. 2. ita se habet tertia objectio.

Nulla qualitas remanet postquàm desinit esse in subjecto; sed gratia remanet: non enim corrumpitur; quia sic in nihilum redigeretur, sicut ex nihilo creatur. Unde dicitur *nova creatura,* ad Galatas ult. *Ergo gratia non est qualitas.* Cui objectioni Respondet divus Thomas, ut sequitur.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicit Boetius accidentis esse est inesse. Unde omne Accidens non dicitur ens quasi ipsum esse habeat; sed quia eo aliquid est. Unde & magis dicitur esse entis, quàm ens, ut dicitur in lib.

7. Metaph. textu 2. sicut etiam in lib. 12. textu 3. tom. 3. & quia ejus est fieri, vel corrumpi cujus est esse: Ideò propriè loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur, sed dicitur fieri, vel corrumpi secundùm quod subjectum incipit, vel desinit esse in actu secundum illud accidens. Et secundùm hoc etiam gratia dicitur creari ex eo, quod homines secundùm ipsam creantur, id est, in novo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundùm illud ad Ephesios 2. creati in Christo Iesu in operibus bonis.

CAPUT XI.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1°. Contra præcedentem conclusionem. Ea distinguuntur realiter, quæ habent diversas definitiones, vel essentias; atqui fundamentum, & relatio habent diversas definitiones, & essentias: nam essentia relationis est quod referatur ad aliud, fundamentum verò est quid absolutum; Ergo relatio distinguitur realiter à fundamento.

Resp. Dist. Mai. Ea distinguuntur realiter, quæ habent diversas definitiones, & essentias absolutas, Conc. respectivas, Neg. Idem enim, si absolutè consideretur, potest absolutè definiri, vel respectivè, si considere-

tur respectivè ad aliud: Et ideo dist. etiam min. Atqui fundamentum, & relatio habent diversas definitiones, & Essétias respectivas, Conc. absolutas Nego; & Neg. Conseq.

Instabis. Manet fundamentum pereunte relatione: Ergo relatio est entitas quædam à fundamento distincta.

Resp. Neg. Conseq. Neque enim relatio est entitas à fundamento distincta, sed necessariò importat entitatem fundamento extrinsecam, scilicet, terminum. Quapropter ad hoc ut pereat relatio, id est, ut fundamentum desinat esse relativum; non est necesse, ut aliqua entitas fundamento intrinseca pereat; sed sufficit, quod aliqua entitas extrinseca, scilicet, terminus relationis non existat. Sic paries albus. A. desinit esse similis parieti albo B. id est, desinit esse albus simul cum pariete B. eò ipsò præcisè, quò paries B. desinit esse albus.

Instabis iterum. Illa connotatio termini vel est aliquid reale, tumque sublato termino perit aliquid reale distinctum à fundamento; vel aliquid fictitium, sicque relatio non est realis, sed à mente excogitata.

Resp. Illa connotatio termini est realis coexistentia subjecti simul & fundamenti cum termino: atque ita sublato termino perit illa realis coexistentia fundamenti cum termino absque eò, quod ulla pereat

entitas intrinſeca fundamento, ut perſpicuum eſt.

Objic. 2°. Non poteſt fieri nova denominatio eaque poſitiva citra novam formam, vel entitatem; ſed relatio novam affert denominationem ſubjecto relationis: Ergo adveniente relatione nova quoque entitas advenit ſubjecto.

Reſp. Diſt. Mai. Non poteſt fieri nova denominatio poſitiva, quæ ſit abſoluta niſi nova forma adveniat ſubjecto, Conc. denominatio relativa, Neg. Nam ad denominationem relativam, ſeu ad eſſe relativum ſufficit, ut producatur, & exiſtat terminus. Sic paries albus. A. verè incipit eſſe relativus, & denominari ſimilis parieti albo B. id eſt, ſimul exiſtere albus cum ipſo ex eo præciſè, quod dealbatur paries B.

Objic. 3°. Idem non poteſt ſimul intendi, & remitti, id eſt, augeri, & minui; ſed fieri poteſt, ut augeatur fundamentum, & minuatur relatio: Ergo relatio non eſt idem cum fundamento.

Probatur minor. Nam ſi fuerint duo parietes albi ut quatuor; & unus fiat magis albus: tunc erit minor ſimilitudo. Contra verò ſi fuerint duo alba, unum ut ſex, & aliud ut quatuor; ſi tollantur duo gradus albedinis ex illo, quod habet ſex gradus, erit major ſimilitudo: ergo fieri poteſt, ut augeatur fundamentum,

& minuatur relatio, & è contra.

Resp. Dist. Mai. Idem non potest augeri, & minui eodem respectu,conc. diverso respectu neg. & concessâ minore, neg. conseq. Nam eadem albedo absolutè, ut albedo est, potest augeri & ut relativa est, vel ut similitudo est, potest minui: & vicissim, ut patet.

Instabis. Ergo eadem albedo, ut albedo est, distinguitur realiter à se ipsa, ut similitudo est.

Resp. Neg. Subsumptum. Nam albedo, ut est relativa, non distinguitur realiter à se ipsa, sed connotat aliquid extrinsecum scilicet, terminum realiter distinctum, id est, coexistit termino.

Objic. 4°. Homo, antequàm genuerit filium, non est pater, licet habeat potentiam generandi: ergo paternitas est aliqua entitas addita fundamento.

Resp. Neg. Conseq. Nam potentia generandi non est fundamentum paternitatis, ex quo, scilicet resultet relatio paternitatis; sed generatio activa est paternitatis fundamentum: hâc enim positâ non opus est aliâ entitate; sed sufficit ut simul existat homo genitus, ad hoc ut paternitatis relatio resultet.

Objic. 5°. Si relatio non distinguitur realiter à fundamento, sequitur relationes omnes,quotquot in re aliquâ reperiun-

tur

tur, non solùm cum illâ identificari; sed etiam inter se: quod videtur absurdum; nam similitudo, & dissimilitudo non distinguerentur.

Resp. Hoc non est absurdum, si benè intelligatur. Nam paries albus per eamdem albedinem, quâ est similis alteri parieti albo, est dissimilis nigro; adeòque similitudo, & dissimilitudo non distinguuntur ab albedine quantùm est ex parte ipsius: quamvis dicant aliquam distinctionem realem ex parte termini, quem connotant.

Objic. Denique. Si relatio non distinguitur à fundamento, hinc sequitur relationem æqualitatis non distingui à quantitate; nec relationem similitudinis à qualitate: & sic de cæteris relationibus extrinsecis; ergo nullum erit prædicamentum relationis.

Resp. Nego. Conseq. Quamvis enim relatio non distinguatur à fundamento, dicit tamen, & connotat aliquid realiter distinctum à fundamento, & sub illâ ratione est aliquid scibile.

CAPUT XII.

De multiplicatione Relationum.

QUæritur 1°. Utrum relatio possit esse fundamentum alterius relationis.

Resp. Certum est quod sicut paries albus habet relationem similitudinis ad alium parietem album; ita una paternitas habet relationem similitudinis ad aliam paternitatem: ambæ enim sunt similes; sicut duo alba sunt similia. Quarè sicut prior relatio similitudinis fundatur in albedine, quæ dicitur accidens absolutum; quatenùs nullam per se dicit relationem extrinsecam, sive ad terminum subjecto extrinsecum: itâ posterior fundatur in paternitate, quæ dicitur accidens relativum, quatenùs connotat terminum subjecto extrinsecum; sicque una relatio est fundamentum alterius. Sic omnes numerorum proportiones sunt relationes, quarum fundamenta sunt aliæ relationes. Nam sicut se habent quatuor ad octo; ita sexdecim ad triginta duo: & sic de cæteris.

Objic. Si una relatio fundat aliam, hæc tertiam fundare poterit: sicque res in infinitùm abibit; quod est absurdum, & impossibile.

Resp. Neg. Sequelam. Nam quælibet

relatio ad terminum subjecto extrinsecum potest esse fundamentum similitudinis, vel dissimilitudinis tantùm:nec datur ultra progressus. Sicut autem, ut jam dictum est, duo alba sunt similia per se ipsa: ita & duæ paternitates sunt se ipsis similes.

Quæritur 2°. Utrum subjectum per unam relationem referatur ad plures terminos: & ad eumdem terminum per plures relationes.

Resp. 1°. Cùm relatio non distinguatur à fundamento quatenùs connotat terminum: quoties fundamentum est specie diversum, toties est diversa specie relatio. Sic ex generatione activâ Petri resultat in eo relatio paternitatis ad Paulum;& ex motu locali resultat in eodem Petro relatio proximitatis, vel distantiæ respectivè ad Paulum eumdem, quæ relatio est diversa specie à priori: quia ejus fundamentum est specie diversum;licet sit idem terminus utriusque.

2°. Cùm termini sunt specie diversi, licet idem sit fundamentum, tot sunt relationes specie diversæ, quot sunt termini: quia connotatio termini, quæ est essentialis relationi est specie diversa. Sic unus paries albus habet relationem similitudinis ad alium parietem album, & relationem dissimilitudinis ad nigrum per eamdem albedinem.

3°. Cùm idem est fundamentum, & ter-

mini solo numero distinguntur: tunc una tantùm est specie relatio ad plures terminos. Sic unus paries albus unam specie habet similitudinem ad plures parietes albos. A fortiori cùm duo unum totalem terminum constituunt. Ut pater, & mater respectu filii, qui idcirco unam tantùm habet relationem ad utrumque simul totalem videlicet, quæ duabus constat relationibus partialibus.

4°. Denique Relatio est numero distincta, quando termini sunt distincti numero, vel distincta numero fundamenta. Sic alia est relatio paternitatis in Petro respectivè ad Paulum, primò-genitum, & alia respectivè ad Joannem secundò-genitum: quia ibi sunt duæ generationes activæ, & duo termini.

Objic. Non possunt esse in eodem subjecto plura accidentia solo numero distincta; sed relationes, quibus pater respicit plures filios, solo numero distinguntur: ergo non possunt esse in eodem subjecto.

Resp. Dist. Mai. Plura accidentia absoluta solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subjecto, Conc. Plura accidentia relativa, Neg. & concessâ minore, Neg. Consequent. Nam 1o. relationes, quibus pater respicit plures filios sunt successivæ. Cùm enim dicitur quod Petrus habet relationem paternitatis ad Pau-

lum nihil aliud formaliter significatur, nisi quod Petrus genuit Paulum. Id autem non impedit quin posteà genuerit Joannem, in quo tota relationis essentia consistit, ut patet 2°. Quia eadem albedo, quæ est unum numero accidens absolutum, ut respicit duos terminos illisque coexistit, est dupliciter relativa, & habet duplex esse relativum; ac proinde est duplex relatio.

CAPUT XIII.

De Termino Relationis.

QUæritur 1°. Utrum terminus sit de essentia relationis.

Resp. Connotatio termini est relationis essentia, non terminus ipse.

Prob. Concl. Nam relatio est *illud quo subjectum respicit terminum*; atqui terminus non potest esse *illud, quo subjectum respicit terminum*: ut patet; ergo terminus non est ipsa relatio, seu relationis essentia, sed connotatio termini.

Confirm. Quia essentia patris est, ut pater est, non est filius, aut esse filium; sed habere filium, vel genuisse filium: atque ita connotare filium; sicut essentia paternitatis non est filiatio, sed illius connotatio. Sic similitudo parietis albi. A. Quâ similis

est parieti Albo B. non est albedo parietis. B. sed propria albedo parietis. A. quâ albus est simul cum pariete. B., id est, quâ coexistit albus cum pariete. B. atque ita connotat parietem. B. simul existentem album.

Objic. Illud est de rei essentiâ sine quo res esse, aut concipi non potest; sed relatio esse, vel concipi non potest sine termino: ergo terminus est de essentia relationis.

Resp. Illud argumentum est merum sophisma, seu paralogismus, cujus nimirum conclusio ex principio malè intellecto colligitur. Cùm enim dicitur, *illud est de essentia rei, sine quo res esse, vel concipi non potest*; nihil aliud intelligitur, quàm quod illud sit de essentia rei, sine quo res esse non potest, nisi ea sit illud, vel concipi nisi ea concipiatur ut illud. v.g. *Animal-rationale* est de essentia hominis; quia non-potest esse homo, nisi is sit *animal-rationale*: neque concipi, nisi is concipiatur ut *animal-retionale*; quod si alio modo intelligatur, illa propositio est absolutè falsa. Unde ad minorem respondeo cum distinctione. Sed relatio esse, vel concipi non potest sine termino, id est, relatio non potest esse nisi habeat, & connotet terminum, vel concipi nisi concipiatur per ordinem ad terminum, quem

connotat, Conc. non potest esse, nisi ea sit terminus, vel concipi nisi ea concipiatur ut terminus, nego; & neg. conseq. Nam relatio, seu esse relativum non est esse aliud; sed est entis esse ad aliud, scilicet ad terminum.

Quæritur 2°. Utrum terminus relationis sit quid absolutum, aut relativum, sive utrum relatio terminetur ad absolutum, an potiùs ad relativum. An v. g. similitudo, quæ est in pariete albo. A. terminetur ad similitudinem parietis B. vel potiùs ad ejus albedinem, quæ dicitur accidens absolutum, seu modus intrinsecus subjecto. Vel utrum pater referatur ad filium formaliter quatenus filius est: an potiùs quatenùs homo est ab eo genitus.

Resp. Cum Divo Thoma contra cæteros Philosophos. Relatio terminatur ad aliquid relativum, ut relativum est.

Probatur Conclusio. Non potest concipi quod paries A. est similis parieti albo. B. id est, quod paries. A. est albus sicut paries B. nisi simul concipiatur quod paries. B. est albus sicut paries A. ut manifestum est: neque potest concipi pater nisi simul concipiatur filius; Ergo relatio terminatur ad relativum formaliter.

Confirmatur. Quia correlativa sunt simul naturâ, ut correlativa sunt; nec unum potest cognosci sine alio, nec unum cor-

relativum definiri, nisi per ordinem ad suum correlativum; sed subjectum, & terminus relationis sunt correlativa; Ergo subjectum, & terminus sunt simul relativa ad se invicem, &c. Ac proinde relatio, quâ subjectum, & terminus sunt correlativa, terminatur ad relativum.

Confirmatur iterum. Quia terminare est aliquid formaliter relativum; atqui omnis relatio refertur ad terminum, ut terminus est relationis: Ergo omnis relatio terminatur ad relativum. Quando enim dicitur paries albus. A. est similis parieti albo B. nihil aliud significatur, quàm quod paries. A. est albus, sicut paries B. albus est, unde utraque albedo sumitur relativè, ut perspicuum est.

Respondent adversarii relationem quidem terminari ad id, quod est relativum, non tamen quatenus relativum est, id est, ad relativum fundamentaliter, seu materialiter, non autem formaliter: ita ut paternitas non terminetur ad filiationem, vel ad filium, sed ad hominem genitum. Nam si quis quærat, inquiunt, cur Philippus sit pater Alexandri, nemo respondebit quia Alexander est filius Philippi: sed quia genitus est à Philipo.

Sed contra. Relatio connotat essentialiter terminum; sed connotari à Relatione, sicut terminare relationem, non est tantùm

materialiter, sed etiam formaliter relativum, ut patet.

Ad hoc autem, quod dicitur, si quis quærat cur Philippus sit pater Alexandri; nemo respondebit, quia Alexander est filius Philippi: sed quia genitus est à Philippo. Respondeo hinc manifestè confirmari nostram conclusionem. Nam nihil aliud est formaliter filius Philippi, quàm homo genitus à Philippo: sunt enim duo nomina ejusdem omnino rei, ut patet, & quæ idem prorsus formaliter significant. Unde vides quot, & quantis æquivocationibus sit obnoxius intellectus humanus etiam in rebus facillimis.

CAPUT XIV.

Solvuntur objectiones.

OBjic. 1. Contra secundam præcedentis capitis Conclusionem. Terminus relationis est quid prius ipsâ relatione; cùm sit conditio ad relationem requisita, quâ positâ statim ipsa relatio resultat; sed relatio opposita v. g. filiatio non est aliquid prius paternitate, ac neutra propriè pendet ab alterâ: cùm sint simul naturâ; Ergo homo genitus prius naturâ, quàm sit filius, terminat relationem paternitatis. Atque ita relatio terminatur ad aliquid absolutum.

Resp. Neg. Mai. Non enim terminus relationis est prior relatione, sed sunt simul naturâ. Nam relatio non est aliqua entitas distincta à fundamento, quæ producatur; sed eadem entitas fundamenti incipit esse relativa simul ac ponitur terminus.

Objic. 2. Si relatio penderet ex oppositâ relatione tanquam à termino opposito, à se ipsâ dependeret. Nam si paternitas à filiatione, & vicissim filiatio à paternitate dependeat; sequitur paternitatem à se ipsâ dependere, quod est absurdum: esset enim prior, & posterior se ipsâ.

Resp. Relationem ab oppositâ non dependere, neque paternitatem à filiatione, neque filiationem à paternitate: sed esse simul naturâ, ut jam dictum est. Explicatur. Causa quidem est prior naturâ suo effectu, ut *ens est*: sed non est prior naturâ suo effectu ut *causa est*; sic pater est prior naturâ filio, ut *homo est*: sed est simul naturâ cum filio, ut *pater est*. Neque enim potest esse pater, nisi sit filius. Nam correlativa se mutuò ponunt, & se mutuò tollunt.

Objic. 3. Si relatio terminaretur formaliter ad relativum, essentia ejus non posset intelligi sine correlativo, ut correlativum est; sed hoc dici nequit: Ergo non terminatur ad relativum, sed ad absolutum.

Resp. Neg. min. Nam verum est essen-

tiam relativi non posse intelligi, nisi simul intelligatur correlativum: cùm totum esse relativi sit ad correlativum referri.

Instabis. Ut essentiam paternitatis intelligas, sufficit quod eam concipias ad hominem, qui genitus est; nec ullo modo requiritur, ut intelligas in homine genito esse relationem filiationis, quâ vicissim respicit eum, à quo genitus est: cùm præcisè de ratione patris, ut pater est, sit tantùm ut aliquis ab eo sit genitus; quocumque modo ille se habeat ad suum progenitorem.

Resp. Cùm homo genitus nihil sit aliud formaliter quàm filius; nec ullo modo concipi possit homo genitus; nisi concipiatur filius, ut filius: objectionem illam esse inutilem manifestum est; ac eâdem semper æquivocatione laborare.

Objic. Denique. Si unum correlativum definiatur per ordinem ad aliud; cùm unum non sit prius, neque notius altero, non erit accurata definitio: omnis enim accurata definitio debet fieri per aliquid prius, & notius definito.

Resp. Neg. sequel. Nam cùm unum correlativum non sit prius altero: hinc sequitur perinde esse quodcumque prius definiatur. Definitio autem non debet fieri per aliquid prius definito cùm definitio sit *oratio explicaturam rei*: natura verò rei non sit priori

latio rationis. Cùm enim dicitur Creator, & Dominus, ex eo dicitur quod creaturæ referantur ad ipsum quatenus aliquid accipiunt ab eo: non autem quod ipse referatur ad eas.

Objic. 1°. Creaturæ sunt realiter, & à parte rei possibiles: Ergo illa relatio, quâ Deus refertur ad creaturas possibiles, est realis. Cùm tam fundamentum, quàm terminus, scilicet, omnipotentia Dei, & creaturæ possibiles sint reales.

Resp. Dist. Ant. Creaturæ sunt realiter possibiles, id est, possunt esse aliquid reale, Conc. sunt aliquid reale, Neg. & Neg. conseq. Nam quod nihil est reale non potest terminare relationem realem, ut manifestum est.

Objic. 2°. Datur relatio realis, & accidentalis subjecto intrinseca sine omni mutatione; ergo quàmvis Deus non possit mutari, neque in eo ullum accidens esse possit: hoc tamen non impedit quin sit relatio realis Deo intrinseca, & accidentalis ad creaturas jam existentes.

Probatur Ant. nam quod ego accedam ad columnam, quæ est in Ecclesia, vel alibi; id nullam prorsùs columnæ mutationem importat: & tamen resultat in columnâ relatio realis, cathegorica, scilicet, proximitatis ad me.

Resp. Dinsting. Ant. Datur relatio rea-

lis, & accidentalis sine omni mutatione accidentali, vel præteritâ, vel præsenti, neg. sine mutatione præsenti, conc. & neg. conseq. Nam in Deo nulla unquam potuit esse mutatio.

Ad probationem Ant. Resp. Quod licet cùm accedis ad colomnam, nulla tunc fiat mutatio in columna; facta fuit tamen priùs illa mutatio, dum ea in tali loco posita est: cùm potuerit alibi poni. Quàpropter cùm illa locatio sit accidentalis columnæ: non mirum si ratione talis locationis resultet in ea relatio accidentalis, & cathegorica proximitatis.

Finis Metaphysicæ.

INDEX
METAPHYSICÆ

PARS I. METAPHYSICÆ

TRACTATUS I.

PARS PRIMA METAPHYSICÆ

TRACTATUS II.

Qui Theologia naturalis dicitur.

PARS SECUNDA. METAPHYSICÆ.

PROEMIUM.

PARS TERTIA METAPHYSICÆ

PROOEMIUM.

Finis Metaphysicæ.

FACULTAS IMPRIMENDI, concessa ab Adm. R.P. Generali.

Nos F. Bernardinus ab Aretio, Ordinis minorum S. Francisci Capucinorum Minister Generalis L. I. cum Opus cui titulus est; *Antiqua priscorum hominum Philosophia, evidentibus demonstrationibus cum vera scientiæ methodo restituta à* V. P. Bernardino Carpentoractensi, Provinciæ S. L. Concionatore Capucino compositum, duo ejusdem ordinis Theologi recognoverint, ac in lucem dari posse probaverint, Potestatem facimus ut prædictum opus, servatis de jure servandis, typis mandetur, si de iis quorum interest, ità videbitur. Datum Valentiæ in Hispania die 5ª. Octobris 1692.

F. Bernardinus *Minister Generalis.*

Consensus R. P. Provincialis.

Nos infra scripti Minister Provincialis F. Minorum Capucinor. Provinciæ S. Ludovici Facultatem concedimus quatenus liber, cui titulus est; *Antiqua Priscorum hominum Philosophia, &c.* à V. P. Bernardino Carpentoractensi Concionatore, ac ejusdem Provinciæ Philosophiæ & Theologiæ professore compositus, & gravium Theologorum nostrorum Judicio examinatus & approbatus prælo mandetur. Actum in nostro Conventus Brignionensi die decima Januarii, anni 1693.

F. Salvator Brignoniensis Provincialis.

Approbatio Theologorum Ordinis.

OPus cui titulus est: *Antiqua Priscorum hominum Philosophia, evidentibus demonstrationibus, cum vera scientia methodo, restituta*, Ab Adm. ven. P. F. BERNARDINO CARPENTORACTENSI; Concionatore, ac Philosophiæ & Theologiæ, in nostra S. Ludovici Provincia, Professore; ex Mandato R. P. nostri Ministri Provincialis, Potestate ad id sibi factâ, ab Adm. R. P. NOSTRO BERNARDINO ab Aretio, Ministro Generali, summa animi attentione, nec minori voluptate, evolvi & perlegi. Quem enim in his Philosophicis exercitationibus, Discentem studiosissimum habui, nunc fateor & gaudeo, me ingeniosissimum habere Doctorem. Cùm igitur in hoc opere, nihil aut Fidei Catholicæ dissonum, aut bonis moribus repugnans, offenderim: suumque propositum Author undequâque adimplens, Priscorum Philosophorum placitis, gratiam novitatis adjecerit; Prælo dignissimum opus sentio & censeo. In hoc conventu nostro Tarasconensi, Die vigesimâ quartâ, Mensis Martii, Anni Millesimi, sexcentesimi, nonagesimi secundi.

F. THEODOSIUS Tarasconensis, Ord. Min. S. Franc. Capucinorum Concion. Philosophiæ ac Theol. Professor, & Prov. S. Ludovici Primus Custos.

EGo infrascriptus jussu R.P. Salvatoris Brignoniensis Provincialis, facultate ad id sibi factâ ab admodum R. P. Bernardino ab Aretio FF. Capucinorum Ministro Generali, totam attentè perlegi Philosophiam ab admodum Venerando Patre BERNARDINO Carpentoractensi, in Provincia

sancti Ludovici Philosophiæ ac Theologiæ professore compositam, cujus titulus est, *Antiqua priscorum hominum Philosophia evidentibus demonstrationibus cum vera scientia methodo restituta*. Præclarissimum certè opus, ac prorsus mirabile. Nam præterquàm quod nihil in eo fidei Catholicæ dissonum, aut bonis moribus repugnans, nihil obscurum reperitur, aut dubium; sed omnia certa sunt & evidentia, tanta perspicuitate pulcherrimum universi totius exhibet ordinem, & claram creaturarum notitiam, ut simul ad evidentem sapientissimi Conditoris cognitionem summamque perfectionum illius admirationem legentis animum mirabiliter evehat. Quam enim Aristoteles, totque præstantissimi viri longo multorum sæculorum intervallo summis laboribus restituere conati sunt, Author ipse aliquorum duntaxat annorum spatio Philosophiam divino præventus auxilio feliciter, atque perfectè restituit. Opus itaque non solùm utilissimum, verùm etiam hoc præsertim tempore, maximè necessarium, præloque censeo dignissimum. In conventu nostro Carpentoractensi die 7. mensis Augusti anni 1692.

PAULUS Brignoniensis Capucinus
Lector Philosophiæ

Approbatio Doctoris Sorbonici.

EGo Infra scriptus Doctor Theologus socius Sorbonicus, & Custos S. Crucis in Ecclesia Lugdunensi. De mandato Illustrissimi Domini Galliarum Cancellarii, legi *Antiquam priscorum hominum Philosophiam &c.* in qua nihil inveni absonum fidei, aut bonis moribus. Datum Lugduni die 18. Junii 1693.

COHADE.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos Amez & Feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maitres des Requétes ordinaires de nôtre Hôtel, Baillifs, Sénéchaux, Prévôts leurs Lieutenans & tous autres Justiciers & Officiers qu'il appartiendra SALUT. Nôtre cher & bien amé le *R. P. Bernardin de Carpentras Capucin, nous à fait* remonstrer qu'il avoit composé un Livre Intitulé, *Antiqua priscorum Philosophia evidentibus demonstrationibus cum vera scientia methodo restituta.* Lequel il desireroit faire Imprimer & donner au public s'il nous plaisoit lui accorder nos lettres de Permission, sur ce necessaires. A CES CAUSES, desirant favorablement traitter l'exposant, nous lui avons permis & accordé; permettons & accordons par ces présentes de faire Imprimer ledit Livre par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choisir, le vendre & debiter en tel volume marge & caractere & autant de fois que bon lui semblera pendant le temps & espace de 10. ans entiers & consecutifs à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer, faisons tres-expresses deffences à tous Imprimeurs Libraires ou autres personnes de quelle qualité & condition qu'elles soient d'Imprimer ou faire Imprimer ledit Livre sous quelque pretexte que ce soit d'augmentation, correction, changement de titre, impression étrangere, en quelque sorte & maniere que ce soit sans le consentement de l'exposant ou de ses ayans cause à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, trois mil livres d'amende de tous dépens dommages & interêts, à la charge par ledit exposant de faire *Imprimer ledit*

Livre sur de beau & bon papier & en de beaux Caracteres suivant les Reglemens faits pour la Librairie & Imprimerie & que l'Impression en sera faite dans nôtre Royaume, qu'il en mettra deux exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un en celle de nôtre Château du Louvre & un en celle de nôtre tres-cher & Feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Boucherat aussi-tôt qu'il sera achevé d'Imprimer & avant que de l'exposer en vente à peine de nullité des presentes du contenu desquelles nous mandons faire joüir & user l'exposant & ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empéchemens contraires, voulons qu'en mettant au commencement où à la fin l'Extrait des presentes, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées & qu'aux copies d'icelles Collationnées par l'un de nos amés & Feaux Conseillers Secretaire, foy soit adjoûtée comme à l'Original, commandons au Premier Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'entiere execution des presentes toutes significations actes & exploits requis & necessaires sans demander autre permission. CAR tel est nôtre plaisir. DONNE' à Versailles, le Deuxiéme jour de Juillet l'An de Grace mil six cent quatre vingt treize & de nôtre Regne le cinquante & un.

Par le Roy en son Conseil.

BECHET.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, &c. le 15. Juillet 1693. Signé P. AUBOUIN Syndic.

Ledit R. P. Bernardin de Carpentras à cedé & transporté sondit Privilege à Jean Baptiste De Ville Marchand Libraire à Lyon.

Achevé d'Imprimer pour la premiere fois le 25. Septembre 1693.